

1776.

1. Kraus, Franciscus Josephus: De rebus auctis in Hispania.

1778

1. Ehren, Christianus Passius: De servis Melioribus
Europaeorum in coloniis Americae
2. Metzler, Iohannes W. Melchior: De sociis Imp. Rom. Sam.
speciebus de rebus in Germania Inferioris Eborac.
A III Angliae regia. 1338 Committit.

1779

1. Reissisen, Iohannes Daniel: Turris prudentiae duplo
magicae speciosa VI.

1780.

1. Kern, Carolus Henricus: De potestate Imperatoris
circa concessionem privilegiorum.
- Reissisen Daniel
2. Ehrmann, Iohannes Franciscus: De beneficio duloso.

1782.

1. Ehrmann, Iohannes Franciscus: De beneficio culpato.

1783.

1. Braun, Johannes Daniel : Num beneficium competetiale
utim leges in de provencia lia eod' altera atque ionari
pertinet?
2. Braun, Johannes Daniel : Historia iuriis adserentis
3. Durand, Bonnatus Franciscus Petrus Peccatior :
4. militari testamento.
5. Focardi, Henricus Josephus Blasius : De dominio
5. Reineke, Johannes Daniel : De renovationibus san-
ctorum
6. Trichtinger, Johannes Christianus : De origine decimalium
ecclesiasticarum
7. Winter, Joh. Henr. : De paena paricidii secundum
leges Germanicas et Gallicas.

1784.

1. Brackenhoffer, Lazarus Frd. : De finium regundorum
actione.

ial
ari
7
~
arum
22
~

1. May 1800. Total 3 Mon. Draperies unperforated
1. June 1800. Draperies unperforated
2. July 1800. Draperies unperforated
3. August 1800. Draperies unperforated
4. September 1800. Draperies unperforated
5. October 1800. Draperies unperforated
6. November 1800. Draperies unperforated
7. December 1800. Draperies unperforated

518

at le
te-
pies
ment
e la
gné,

Specim. III. p. 58.



Specim. VI. p. 78.



Hæc Sigilla Ceræ viridi sunt
impressa.

Q. D. B. V.
DE
VICARIIS IMP. ROM. GERM.

S P E C I A T I M

DE

**V I C A R I A T U
G E R M A N I A E I N F E R I O R I S
E D U A R D O III. A N G L I A E R E G I**

A. M C C X X X V I I I . C O M M I S S O .

E X D E C R E T O

I L L U S T R I S J C T O R U M O R D I N I S
P R O L I C E N T I A
G R A D U M D O C T O R I S

C O N S E Q U E N D I

A D D. XV. J A N U A R I I M D C C L X X V I I I .

P U B L I C E D I S P U T A B I T

J O H A N N E S W I L H E L M U S M E T Z L E R
F R A N C O F U R T A N U S A D M O E N U M .

H. L. Q. C.

A R G E N T O R A T I

T y p i s J o h. H e i t z i i , U n i v e r s i t a t i s T y p o g r a p h i .



e Vicariatu Imperii in partibus Germaniae inferioris, quem Ludovicus V. Caesar Augustus Eduardo III. Angliae Regi demandavit, multa in Diplomatariis, multa & apud Annalium ejus ævi scriptores prostant monumenta. Sed nemo fuit, quem sciam, qui peculiari opera in origines, limites, fata, naturam ipsius inquisiverit. Digna tamen, siquæ alia unquam materia, in qua elucidanda Viri desudarent; sive Potentissimum Europæ Principem intueare Imperatoris Romano Germanici vices mandatario nomine in se suscipientem; sive consilii prorsus singularis rationes prosequare; sive lucem ipsam species, que inde Historiæ Germanicae, Gallicae, Belgicæ eorum temporum accedit. Hanc ego itaque provinciam raritate atque elegantia argumenti motus, licet viribus

A 2

impar, in me suscepit; spe potissimum adductus, justum
quemlibet rerum harum estimatorem nova omnino prola-
turo, indulgentia potius ac favore adfuturum esse, quam
errores, si quis, quod humanum foret, erravero exprobra-
turum vel defectus operis juvenili ambitione tentati super-
bius reprehensurum. Accipe jam instituti rationes. Cum Vi-
carius Eduardinus in eis potissimum regionibus viguerit,
quae, postquam Lotharii regnum misere discriptum fuisset,
Ducatum Lotharingiae inferioris composuere, e re visum est
pauca de fatis ejus praelibare. His aliqua de Vicariatibus
regnorum Italici atque Arelatensis praemitto, ut inter ipsos
ac Eduardinum Vicariatum comparatio institui possit. Hunc
ipsum ex monumentis editis atque ineditis, quorum copia
mibi facta est, illustro, tandemque aureum Ludovicianum
celeberrimum, varie explicatum, jussu Eduardi regis, Lu-
dovici V. Imperatoris auctoritate cusum esse, ea, qua decet,
modestia, probatum dare conor. Tuum est, Lector, his, si
placuerint, uti, quae minus recte visa fuerint, emendare.
quae desunt, supplere, atque, quod votis omnibus expeto,
rem maximi momenti molienti facilis animo favere.



Vicariorum Germaniae Species.

VICARIUS is dicitur, qui vices alterius sustinet vel ejus nomine jura ipsius exercet. Vicariorum itaque tot genera sunt, tot Classes, quot officiorum, jurium, dignitatum. At vero illi omnium praecipui absque dubio cendi sunt, quibus Leges regnorum fundamentales reipublicae tutelam tempore interregni vel principe impedito commendant. Ab ipsis probe distinguendi sunt, qui a Summo Imperante potestatem accipiunt, ut jura sua tueantur vel certum aliquod negotium perficiant. Illos populi, personam moralem constituents, hos Imperantis vices gerere dixeris.

Hinc sequitur insignis Vicariorum, quos Germania veneratur, differentia. Sunt enim, qui *Imperii*, sunt qui *Imperatoris* Vicarii vulgo audiunt; at vero hos ipso non *Imperatoris* solum, sed conjunctim *Imperatoris & Imperii* Vicarios nominandos esse arbitror, nisi forte Cæsar ea peragenda ipsis commiserit, quae libertimo suo arbitrio relicta sunt. Dividuntur porro Vicarii in *Generales & Speciales*, vel *Particulares*. Primam classem ex nonnullorum fententia unus occupat Rex Romanorum, superstite Imperatore electus, ut impediti vel absentis vices agat & defunctorum succedat. Alii eos quoque hoc referunt Vicarios, quibus cura universi Imperii vel saltem integri regni ex eis, quae cum Germania olim coaluerunt, à Cælare & Imperio vel à Lege commissa est. Particulares autem numerupant illos, qui vel uni provinciae, vel certo negotio praefecti fuerint. Accedit denique tertia divisio in *Perpe-*

tuos & Temperarios. Illorum jus perpetuum est & ad posteros transmittitur. Horum officium tempore, ad quod constituti fuerunt, elapsi vel negotio perfecto cessat.

§. II.

Vicarii Imperii A. B. constituti.

Vicariatus Imperii proprie sic dictus certam stabilemque ac legitimam formam demum per Auream Bullam accepit. In illa enim statutum fuit, ut quoties Sacrum vacare contingat Imperium Palatinus & Saxo Electores ad manus futuri Regis Romanorum Provisores Imperii effent¹⁾. Quamvis autem A. B. Vicariis tantum tempore interregni hanc potestatem tribuere videatur, obtinuit tamen, ut absente quoque Imperatore Palatinus & Saxo ordinarii Vicarii habeantur. Hinc est, quod Carolus V. cum fratrem suum Ferdinandum Imperii Vicarium absente se deputasset, Vicariis Imperii in A. B. constitutis, per litteras reversales cavit, ne id juribus eorum derogaret²⁾. Notae sunt lites Palatinum inter atque Bavaram Electores de Vicariatu Palatino motae, quae transactione ab Imperatore & Imperio confirmata tandem A. 1745 sopiae fuerunt³⁾. Limites Rhenani & Saxonici Vicariatum A. B. distincte non expressi, alia transactione definiti sunt, quae ab Imperatore approbata⁴⁾ confirmationem comitialem adhuc exspectat. Sed actam omnino rem agerem, si plura de Vicariatu hoc adjectum irem.

1) A. B. Cap. V.

2) GOLDASTI Reichssatzungen, T. I. p. 243.

3) Mosers teutsches Staats-Archiv, de a. 1752. V. Thl. p. 774. IX. Thl. p. 421. X. Thl. p. 523. XII. Thl. p. 923. & CAPIT. NOVISS. Art. III. §. 18

4) CAPIT. NOVISS. Art. III. §. 19. ipsum transactionis contentum sicut PUTTERUS in Elementis Juris publici p. 985. ed. a. 1766.

§. III.

Vicarii vivente Imperatore in Germania constituti.

Jam inde ab initio satis constat Imperatores Germaniae Reges extra Germaniae fines peregre abeuntes, pri-
mum Proceribus cuiuscunque Provinciae vicariam potes-
tatem in illa detulisse, nequid per suam absentiam respu-
blica detrimentum caperet. Hinc maxima Ducum auto-
ritas, quae ipsis impeditis, absentibus, defunctis ad Co-
mites Palatinos provinciales devolvebatur. Verum enim
vero pericula Imperii, hoc pacto inter plures divisi,
impulerunt postmodum Caesares, ut freна ipsius uni com-
mitterent. Inde origines eorum, quos Imperatoris atque
Imperii nuncupavi, Vicariorum, quorum ingens nume-
rus in Fastis Germaniae occurrit, sed in quibus investi-
gandis atque recenfendis mihi commorari haud vacat. Ne
tamen eos plane insalutatos dimittam, nominasse sufficiat
ex seculo X. *Wilhelnum Ecclesiae Moguntinae praefulem*
à patre Ottone I. constitutum ¹⁾: Ex seculo XI. *Henri-
cum de Lacu Comitem Palatinum*, cui Imperatore Hen-
rico IV. in Italiani exercitum ducente, commissae sunt
habenae ²⁾: Ex seculo XII. *Uladislaum Bohemiae Ducem*
Friderici I. Vicarium ³⁾: Ex seculo XIII. *Engelbertum*
Colonensem antistitem vices Friderici II. gerentem ⁴⁾:
denique ex XIV. *Johannem Bohemiae Regem à patre*
Henrico VII. Germaniae praefectum ⁵⁾.

1) WITTICHINDII *Annal.* L. III. inter MEIBOMII *Script. rerum
germ.* T. I.

2) Diploma anni 1090. refert TOLNERUS in *Historia Palatinap.* 278.

3) DUBRAVIUS in *Hist. Bohem.* L. XII.

4) CAESARIUS HEISTERBACENSIS in *Vita S. Engelberti* L.I. C.V.

5) CONRADUS VECERIUS de Henrico VII. apud ÜRSTISIUM T II.
p. 68. & ipsae Johannis litterae, Vicarii encomio insignes, quarum
duae de a. 1313. apud HONTHEIM in *Hist. Trevir.* T. II. p. 88.

§. IV.

Vicarii Italiae.

Italia, confilio & armis Ottonis M. in regnum proprium Regum Germaniae vindicata, longe alio jure, alia formula atque dominatrix Germania regebatur. Nulli hic Duces, nulli proceres majorum gentium, qui absentium Imperatorum Regumve vices suo jure explerent. Suus cuivis fere Civitati Magistratus Augustalis, qui Caesareo Régioque nomine jurisdictionem omnimodam in illa exercet, atque infrenes populos sive vi sive auctoritate compescet. Hinc mihi petenda videtur quaestio, unde tantus Vicariorum S. R. I. in Italia numerus? solutio. Illorum vero potentior sive audacior quisque successu temporis temporariam & specialem, qualis ab initio omnium fuerat, dignitate in generalem & perpetuam commutare, & cum ipsa Vicariorum multitudo singulorum potestatem diminuisset, facile potestatis augmentum ex ruina aliorum petere coepit. Ita factum est, ut Imperium Italiae per absentiam Imperatorum ad tres potissimum gentes vicaria autoritate instructas redierit, Mediolanensem scilicet Sabaudicam atque Mantuanam.

Mediolanensem Vice-Comitem ex illustri Galeacionum gente oriundum Adolphus Nassovius Imperii Vicarium per universam Lombardiam nuncupavit¹⁾, quae deinceps dignitas sequentibus Vice-Comitibus ab Imperatoribus Alberto, Henrico VII. Carolo IV. continua fuit,

& 89. his verbis incipiunt: „Nos Johannes Dei gratia Bohemie & „Polonie Rex, sacri Imperii citra montes Vicarius generalis ac „Luzelburgenis Comes”

¹⁾ TRISTAN. CALCHUS in *Histor. Patr.* L. XVIII. ad a. 1294. in GRAEVII *Thef. antiqu. Ital.* T. II. P. I. p. 388.

◎ ◊ ◎

fuit, donec à Wenceslao a. 1395. Ducas titulum obtinuerint²⁾.

Mantuanus Vicariatus jam ab Ottone M. a. 962. institutus³⁾, a. 1432. Johanni Francifco Gonzagae ab Imperatore Sigismundo denuo concessus⁴⁾, aliquandiu penes Mantuae Duces remansit atque beneficio Imperatorum Ferdinandi II. a. 1624. Ferdinandi III. a. 1657. Italiae omni, quam late illa maiestatem Augustorum veneratur, praefectus est. Verum Sabaudiae Duces, quibus Sigismundus a. 1412,⁵⁾ Vicariam potestatem in sua ditione contulerat, Carolus V. a. 1555. confirmaverat⁶⁾, successores hujuscemadum ad alia subinde territoria extenderant, privilegiis Ferdinandis jura antiqua, & ipsa litteris Augustalibus suffulta, longique temporis usu consecrata oppoluere, facilique negotio post mortem Ferdinandi III. qui Gonzagenes affines summo favore amplexus erat, apud Electores obtainuerunt, ut speciali pacto, Capitulationi Leopoldinae inserto, Vicariatus Mantuanus antiquis limitibus circumscriberetur, atque Sabaudico prisca in Italiam universam, quae Germaniae paret, auctoritas restituereatur⁷⁾. Gaudent etiamnum Sabaudiae Duces post varias processas, quae statum Italiae publicum concusserunt evertenturque, juribus nonnullis Vicariatu suo attributis, servatis nempe ex naufragio tabulis⁸⁾. Levi manu quaestionem attingo, an Vicariatus Italiae Generalibus, qui tempore

2) LEIRNIT. in Cod. Juris gentium T. I. p. 257.

3) LUNIG in Cod. Ital. diplom. T. I. p. 1342.

4) Idem l. c. p. 1371.

5) Idem l. c. p. 681.

6) Idem l. c. p. 765.

7) CAPITULATIO LEOPOLDI Art. IV. qui est CAPIT. NOVISS. XXVI.

8) cf. Perillultris L. B. de MÜNCHHAUSEN Diff. de Vicariatu Italicu, & KOENIGH Programma de vicaria potestate in partibus regni Arelatenfis & Italiae.

interregni in Germania vigent, Vicariis subjectus sit? Rem omnem, quae neque ex A. B. neque ex aliis legibus publicis definiri poterat, extra dubitationis aleam posuerunt actus quam plurimi, quibus Sabaudiae Duces suam potestatem perpetuo Imperii Vicariatu subordinatam esse agnoverunt⁹⁾. Silentio heic omnino praetereundus non est Vicariatus Supremus, quem sibi Summi Pontifices tam in Italiam quam in Germaniam olim competere affirmabant, cujusque obtentu post alios Clemens IV. Carolum Andegavensem¹⁰⁾ & Clemens V. Robertum¹¹⁾ Siciliae Reges Italiae Provisores nominaverunt. Neque vero sequiores fuerunt S. Pontifices in exercendis juribus, quae vacante Imperio in Germania affectabant. Notissima sunt acta Vicariatus Imperii Generalis, quem sibi Johannes XXII. P. M. ejerato Ludovico V. Augusto anno 1324. attribuit; atque Benedictus XII. occasione Vicariatus Eduardini maximo molimine, infeliciore successu, restauravit. Horum plurima, quae in rem meam faciunt, ex RYMERI actorum collectione suo loco compellam; alias litteras Benedicti XII. adhuc ineditas atque ex Archivo Insulano ad me transmissas, sub finem dissertationis producitur¹²⁾. Diuturna fuit haec contentio maximis odiis utrinque tractata. Enimvero postquam Germaniae Proceres libertatem atque majestatem Imperii contra ausus Pontificios per constitutionem Francofurtanam a. 1338. vindicassent, Carolusque IV. jura Vicariorum Imperii per A. B. stabiliisset, illa, quae Curia Romana sibi arrogaverat, jura antiquata sunt tandemque cum principiis, quibus innitebantur, oblivioni mandata.

⁹⁾ König von den hohen Vicariats-Gerechtsamen, P. I. §. 26.

¹⁰⁾ MONACHUS PADUANUS ad a. 1267. apud URSTIS. T. I. p. 622.

¹¹⁾ RAYNALDUS in *Cont. Annal. Eccles.* ad a. 1314. n. 3.

¹²⁾ in *Cod. Probat.* N. III.

* II *

§. V.

Vicarii Regni Arelatensis.

Frequentes, quibus immensum Caroli M. Imperium discissum fuit, divisiones & ipsa postremorum Carolidarum inertia & Arelatensi & novo Burgundiae regno initia dederunt¹⁾. Utrumque initio seculi undecimi primum Regibus Germaniae, Franconiae stirpis, titulo utique speciali sibi proprio, postea Germaniae ipsi accessio- nis lege accrexit. Nempe Rudolphus III. Provinciae atque Burgundiae Rex, cum se propter orbitatem ignaviamque ludibrio suis esse videret, Henricum II. Impera- torem, suum ex foro nepotem, pacto apud Argentinam a. 1016. inito, haeredem regnum nuncupavit, frenen- tibus licet proceribus, qui sibi jus antiquum Reges more majorum eligendi nequicquam vindicabant. Cum vero Henricus II. interverso naturae ordine a. 1024. ante avunculum testatorem mortem obivisset, Gisela Alemanna Conradi II. Imperatoris Augusta, Rudolphi III. ex foro Gerberga neptis, precibus, blanditiis, minis ab avunculo obtinuit, ut quae Henrico Saxoni scriptae fuerunt tabulae, jam nomine Conradi mariti sui filiique Henrici a. 1025. redimplerentur; quibus factum est, ut mortuo a. 1032. Rudolfo Conradus Caesar optimam hereditatem creverit, Henricis filio, nepoti, pronepoti transmittendam²⁾. Patescit ex hac rerum gestarum serie, ambitiose nimis à doctissimis viris, qui jura Imperii Romano-Germanici

1) Utrumque regnum, alia quoque denominatione, veniebat. Are- latense enim, retento à Romanis nomine, qui hanc Galliarum par- tem, prae ceteris per longum tempus sibi subjectam, ex more pro- vincis suis adjecerant, Provinciae regnum audiebat. Ait Burgun- dicum à montibus, quibus includebatur, Juranum vocabatur

2) WIPPO de Vita Chunradii Salici apud PISTORIUM T. III. pag.

470. 474. 477. 478.

in regnum Burgundiae scrutati sunt, affirmari illud Pactis Rudolphinis & regno Germaniae & genti regnatrici assertum esse³⁾: neque enim pactis opus erat, neque electio-ne, qua Caesar Conradus sibi filioque Henrico in Comitiis Paterniacensibus prospexit, si ad Germaniam, sive heredem dixeris, sive dominam feudalia regna recuperan-tem, Rudolphi hereditas rediisset. Sed quicquid horum omnium sit, certum est Proceres utriusque regni Provin-ciæ pariter atque Burgundiae iisdem plane ac Germaniae Principes artibus eodemque successu regia jura paullatim usurpavisse, & quam fiduciario jure obtinuerant potesta-tem mox usu liberrimo exercuisse. Tunc vero Imperato-res, ut majestatem regni Arelatensis praeceps ruentem tuerentur, labefactam restaurarent, VICARIOS adsciverunt, quibus tamen dignitatem conferre facilius fuit, quam au-toritatem. Prinus, quem reperi & is quidem dubius in Arelatensi regno sive Imperatoris sive Imperii nomine Vicarius Amedeus III. Sabaudiae Comes est, cui, si No-STRADAMO⁴⁾ fides habenda, (qui tamen Amedeum II. pro III. ponit) ab Henrico V. Imperatore a. 1110. splen-didum officium hoc commissum est⁵⁾. Majori cum cer-titudinis gradu Conradus e gente Zeringensi oriundus à Lothario Saxone *Dux & Rector Burgundiae*⁶⁾ a. 1127.

3) cf. MASCOV. de *nexus Regni Burgundici cum Imper. Rom. & CONRING. de finibus Imp. Rom. L. I. Cap. XII. & XIII.*

4) in *Histoire de Provence* P. II. p. 94. & 109.

5) Historici ejus assertio ex his adhuc argumentis in dubium vocan-da videtur, quod ipse perperam affirmarit Amedeo illi Comitatum Sabaudiae primum concessionem fuisse, quem ipse jam à Bertholdo hereditario jure tenuit; & quod GUILCHENON in *Hist. Sabaudiae* T. I. p. 222. de his omnibus fileat, id unum notans, eum Comi-tem Imperii creatum fuisse

6) Monendum est Lector, ut sollicite distinguat inter Burgundiam Transjuranaam & Cisjuranaam, quarum illa & hujus superior pars ad regnum Arelatense pertinuerunt; inferior autem Cisjuranae pars sub Ducatus titulo Galliae paruit.

constitutus, Imperii Vicarius in partibus istis salutatur ⁷⁾. Nempe cum Proceres Regni Burgundici defuncto Henrico V. Augusto, Waiblingensium postremo, homagium Caesari praestare detrectassent, sive quod, extincta gente regnatrice, soluta quoque vincula esse reputarint, quibus Germaniae adstricti fuerant, sive quod imperium Hohenstaufforum fratribus, sanguine Waiblingensibus junctorum, venerati sint, - Lotharius II. prudenti utique consilio usus, curam Burgundiae illi praecipue viro commisit, qui infensissimus hostis Hohenstaufforum erat atque per divitias famamque par oneri videbatur. Verum enim vero sterile fuit Conradi Imperium, montibus Helvetiae circumscriptum tandemque per Fridericum Hohenstauffum vi armisque eversum. Auxit deinde Fridericus, in solium Caesareum evectus, avita sua in Burgundiam jura, ducta Beatrice filia & herede Reginaldi Burgundiae Comitis, quo facto „non solum Burgundiam, sed & Provinciam, „Imperio jamdiu alienatas, familiariter possidere coepit ⁸⁾“; quare etiam “regnum Burgundiae cum Archifolio Arela-tensi, quod Duces de Zeringen, quamvis sine fructu, „tantum honore nominis, jure beneficij ab Imperio te-nuerant, à Bertolfo Duce extorsit” ⁹⁾. Tunc vero Fridericus I. a. 1157. Eraclium Lugdunensis ecclesiae Archiepiscopum & Primatem investivit, ut esset “semper Sacri „Palatii sui Burgundiae gloriofissimus Exarchon & sum-mus Princeps Consilii & in omnibus faciendis agendis-que praecipuus” atque eadem dignitatem a. 1184. ejus successori Johanni continuavit ¹⁰⁾. Postmodum autem

7) DUCHESNE *Hist. de Bourgogne* L. IV. ch. V. & XI. & SCHOEFF- LINUS *Hist. Badensis* T. I. L. II. c. 4.

8) OTTO FRISING. *de gestis Friderici I.* L. II. c. 29. apud UR-STIS. T. I.

9) OTTO DE S. BLASIO ad a. 1167. eod. loc.

10) PARADIN *Histoire de Lyon* L. II. c. 35. & MENESTRIER *Hi-stoire Consulaire de Lyon*, Preuves, p. 34.

filium Ottoneum successionis legem dicens Comitatui Burgundiae, qui materna hereditas erat; & regno Arelatenfi praefecit¹¹⁾: quo absque prole mascula defuncto Fridericus II. Imp. a. 1214. Wilhelmo Balthio (*de Baux*) Arausionensi Principi, elogium Regis Arelatenfis concessit. At vero, cum vacuum potentiae nomen, contra potentiam Caroli Andegavensium Ducis, Franciae filii, qui Beatricem Comitatus Provinciae heredem a. 1245. in matrimonium duxerat, nihil valeret, Principes Arausionenses eidem Carolo vanam dignitatem a. 1257. cesserunt¹²⁾. Hinc sponte sua patet, quo animo LUDEWIGIUS, ingenio suo pro more indulgens, contendenter, titulum juraque regni Arelatenfis ad Regem Borussiae, Arausionensium Principum per varios casus heredem, fuisse propagata¹³⁾. Ab eodem Friderico II. Augusto ejusdem regni Vicariatum Amedeo IV. Comiti Sabaudiae circa a. 1244. commissum esse, memorat MENESTRIER¹⁴⁾, solus rei aliis omnibus ignotae testis, quem Vicariatum Amedeo per Longobardiam concessum¹⁵⁾, cum Arelatenfi confuside facile arbitris. Caeterum Fridericum II. Imp. filio legitimo Manfredo regnum Arelatense testamento addixisse CHRONICON ABBATIS URSPERGENSIS affirmat; ipsa quidem testamenti verba, quae apud DUMONTIUM prostant, illum tantum Conradi IV. Ballivum in Imperio constituant, nec regni Arelatenfis mentionem faciunt¹⁶⁾. Has vero

11) DUCHESNE l. c. chap. XXII. & PETRUS SAXIUS in *Pontificio Arelat.* apud MENKEN. T. I. p. 266.

12) BOUCHE in *Hist. de Provence* T. II. L. IX. S. II. p. 212. & 272. & LA PISE in *Hist. d'Orange* p. 71. & 74.

13) Erläuterung der goldenen Bulle, T. I. p. 509.

14) l. c. p. 303.

15) GUICHENON l. c. p. 270. & in documentis p. 67.

16) CONRADUS URSPERG. in *Chron.* ad a. 1250. cf. SAXIUS l. c. p. 293. & DU MONT in *Corps diplomatique* T. I. P. I. p. 198.

quantulascunque in regnum Arelatense auctoritatis Caesorum reliquias, inter turbas, quae Germaniam post excessum Friderici II. misere affixerunt, fere abolitas, majore animo quam successu ab interitu servare conati sunt Henstaufforum successores. Hos inter Wilhelmus Hollandiae Comes, in fastigium Romanorum Regis elatus, cum nummorum penuria laboraret, pro decem marcarum argenti millibus omnia jura, proventus & emolumenta, quae nomine Imperii in regno Arelatensi & civitatibus Bisontina atque Lofanna sibi competebant, Comiti Burgundiae oppignoravit ¹⁷⁾. Sed vero cum ille possessionem iurium suorum adire voluisse, Bisontium reclamasse videtur, ita quidem ut Richardus Romanorum Rex per epistolam ad cives Bisontinos a. 1260. datam declaraverit, ipsos nullatenus teneri Vicarium ullum S. R. Imperii admittere ¹⁸⁾. Eodem fere confilio, sed altiora spirans Adolphus Nassovius interitum feralem majestatis Caesareae apud Arelatenes inhibiturus, isto cum Eduardo Anglorum rege, qui Galliam tunc bello infestabat, foedere ¹⁹⁾, Philippum Pulchrum Gallorum regem eo adigere aggressus est, ut quicquid Gallia inde à morte Caroli Andegavensis, ex cessione Baltiorum Arelatenis regis, à regno Provinciae avulserat, sibi ac Imperio restitueret ²⁰⁾, sed spem inconsultis viribus conceptam fecellit eventus. In alia omnia abiens Imp. Ludovicus V. Bavarus a. 1335. Humberto Viennae Delphino in praemium praefitiae fidelita-

17) VIGNERIUS in *Chron. Burgundionum* ad a. 1251 - 53.

18) CHIFFLETIUS in libro, cui titulus *Vesontii urbs Imperialis* P. I. c. LIV. p. 223. & Gehauer Leben und denkwürdige Thaten Kaisers Richardi, in addendis p. 613. & sqq.

19) in *CHRON. COLMAR* ad a. 1296. apud URSTIS. T. II.

20) VETUS CHRONICON MANUPTUM, quod olim in Bibliotheca Illustrissimi Cardinalis Armagnaci Episcopi Ruthenensis existit, & cuius excerptum exhibet DOMINICUS in *Affertore Gallico* p. 227.

tis & servitiorum impensorum regnum Viennae "cum iuriis, pertinentiis & appendientiis" per Ludovicum Juniorem Comitem de Oettingen legatum suum concessit ²¹⁾. At nemo est, qui ignoret, eundem Humbertum postea hanc ipsam provinciam Philippo Valesio Francorum regi, insalutato prorbus Caesare, liberrima donatione tradidisse, à principibus Juventutis Francicae, qui & inde nuncuparentur, peculii jure dehinc possidendam. Tunc vero Carolus IV. Imp. de restauranda apud Arelatenfes Imperii magestate ferio laborare vitus est. Hinc est quod jam a. 1350. inter primordia regiminis sui Aymarum à Pictavio Valentinensem Comitem, Vicarium Auguftalem nominavit ²²⁾, atque ab instituto Avenionem ad Urbanum V. P. M. itinere occasionem surripuit Arelati Arelatenfis regni coronam a. 1365. suscipiendo. Verum enimvero si scriptoribus Gallicis fidem habere velis, Carolus IV. inter ipfa inaugurationis solennia Ludovico Andegavenfium Duci, Caroli V. Francorum regis fratri, quicquid jurium Imperio in Provincia supererat, donavit ²³⁾. Supersunt certe etiamnum in tabulario regio Tabulae Caroli Caesaris semper Augusti, quibus Carolo Delphino Caroli V. filio Vicariatus jura, dignitatem, auctoritatem non solum in provincia Viennensi, quam Delphinatum vocant, sed & in universo regno Arelatenfi a. 1378. commisit ²⁴⁾. Ab hoc

21) D'ACHERY in *Spicileg. Script. Veter.* T. III. p. 719. An Imperatoris ratificatione fecuta sit, ex eo quoque mihi dubium videtur, quod a. 1338. Eduardus III. Angliae Rex Ludovici V. Imperatoriam magestatem votivis precibus imploravit, ut Humberto Delphino regiam dignitatem conferret. v. RYMERUS in *Advis publicis* T. II. P. IV. p. 6.

22) in *Bibliotheca Sebusiana-Cent.* II. n. 87. in HOFFMANNI Monumentorum collectione.

23) BOUCHE I. c. L. IX. S. III. p. 381.

24) SPONDANUS in *Cont. Annal. Eccles. BARONII* T. I. ad a. 13

hoc tempore nihil Imperio juris in vastissimo regno, quam late Galliae paret, remansit neque vindicatum est. Qui enim à Ruperto, Romanorum Rege, filio suo Ludovico Palatino a. 1402. collatus est²⁵⁾ Vicariatus generalis per Germaniam, Galliam atque *regnum Arelatense*, nisi inane prorsus elogium fuisse dixeris, ad solas Sabaudicam, Rauracensem, Montisbelicardensem atque Velsontinam ditiones pertinuit, quae maiestatem Imperii tunc adhuc venerabantur & Sequania excepta, etiamnum obsequiose colunt. Postremus omnium Carolus Audax Burgundiae Dux eundem Vicariatum à Friderico III. frustra expetiit, fundamentum regiae dignitatis, quam ambiebat²⁶⁾.

§. VI.

Primi Duces Lotharingiae, Imperii Vicarii.

Lotharingiae regnum varios post casus, servata tamen propria formula, circiter annum 930. Germaniae junctum est, reluctante nequicquam Francia, frendentibus proceribus, apud quos antiquus erga Carolidarum sanguinem imperiumque cultus atque veneratio, inter frequentes novarum rerum molitiones, nondum extinti erant. Hinc maxima regibus Germanorum sollicitudo fuit, ut populos, quos vinculo male firmato sibi adstrinxerant, viris probatae fidei regendos committerent, his vero vicariam potestatem ita indulgerent, ut illorum revocatio ab arbitrio Imperantis semper penderet. Scite haec explicuit eruditus CALMET: "Nous comptions" inquit "Reinier pour le »prémier des Ducs bénéficiaires de Lorraine, & nous ap-

p. 396. & GODEFROY *Entrevue de Charles IV.* & de Charles V. p. 115.

25) LEIBNIT. in *Cod. Jur. Gent. diplom.* P. I. p. 263. n. 113.

26) *Epistola 381. AENEAE SILVII.* cf. LUDEWIGIUS l. c. p. 507.

»pellons Ducs bénéficiaires ceux, qui ont reçu cette dignité par la pure grâce des Empereurs, qui pouvoient les en dépoiller, quand ils le jugeoient à propos, à la distinction des Ducs héréditaires, qui dans la suite ont possédé le Duché par droit de succession“¹⁾). A Raginario isto, qui heic loci primus Ducum celebratur, ad Brunonem usque Colonensem Antifitem, cui frater Otto M. Lotharingiae principatum contulit²⁾, quinque praefectos regnum nobilissimum numeravit³⁾. Bruno vero, cum intellexisset ingenti illi terrarum tractui ab uno mortali haud facile propisci posse, duos, qui Ducum vices subirent, sibi adjunxit atque subordinavit, itaque dein Lotharingiam superiorem sive Mosellanam Friderico Barri Comiti⁴⁾, inferiorem Gothofredo cuidam⁵⁾ regendas demandavat: unde RUOTGERUS, Brunonis biographus ipsum haud injuria Archiducem Occidentis salutavit⁶⁾, felicet Ducum dignitate & autoritate primum eorumque praefectum. Duplicem hanc Ducatus Lotharingiae formulam post obitum Brunonis Imperatores sollicite conservaverunt atque etiam si filii Ducum defunctorum dignitatem patriam liberaliter contulerint, minime tamen ad legem hereditariae successionis haec sua beneficia dispensaverunt. Haec afferenti nullatenus obstant verba SIGBERTI GEMBLACENSIS, quantumvis ea feudalem quandam successionem adstruere videantur. Nempe postquam Au-

1) *Histoire de Lorraine* P.I. L XVII. n. 3.

2) FRODOARDUS ad a. 953. in *Collectione DUCHESNIANA* T. II.

3) cf. MASCOV. *Diff. de Nexus regni Lotharingici cum Imp. Rom. Germ. & Ejusdem Origines Juris publici illustratae*.

4) FRODOARDUS ad a. 958.

5) RUOTGERUS in *Vita Brunonis* cap. 36. in LEIBNIT. *Script. rerum Brunsvic.* T.I. & CONTIN. REGINONIS ad a. 964. apud PISTORIUM T.I.

6) I. c. cap. 17.

stor caeteroquin gravissimus mortem Friderici II., Friderici I. à Brunone constituti nepotis, Theodorici I. filii utriusque in Ducatu Mosellanico successoris, memorasset, Gothelonem ipsi suffectum esse tradit, "quia Fridericus mares filios non habebat, quibus Ducatus competenteret" ⁷⁾. Verum ex eodem SIGEBERTO constat, Ducatum Mosellanicum post mortem Gothelonis filio Godefrido denegatum atque Alberto, Marchioni ex Alsatia oriundo, collatum esse, quem nepos ex fratre, Gerardus de Alsatia dictus, exceptit ⁸⁾, primus omnium Ducatum suum filio Theodorico successionis hereditariae lege transmissurus ⁹⁾.

Lotharingiam inferiorem post fata Godefridi Ducis, quem Brunonis Vicarium nuncupare fas sit, Godefridus II. ejusdem filius obtinuit, quo absque liberis defuncto, superstite licet fratrum triade ¹⁰⁾, Otto II. Imperator Ducatum ipsius Carolo Ludovici IV. Francorum Regis filio, Lotharii regis fratri, commisit ¹¹⁾. Fuerunt sane, qui utrumque Ducatum ipsi mandatum fuisse hariolarentur. Sed praeterquam quod continua & nuspiciam interrupta series Ducum Mosellanicorum intercalare Caroli nomen vix admittere videatur, ex Epistola Theodorici Episcopi Metensis, Carolum increpantis, "quod vanissimo supercilio se toti Lotharingiae praeesse jactitaret" ¹²⁾, facile eruitur,

7) SIGEBERTUS ad a. 1033. apud PISTORIUM T. I. p. 832.

8) Idem ad a. 1048.

9) CHIFLETIUS in *Lotharingia masculina* c. 8.

10) Ex *Vita S. Adelheidis* primae Abbatissae de Villichen prope Bonnam à Bertrada forore S. Wolphemi Abbatis de Bruviller scripta, apud DE VADDERE *Traité de l'origine des Ducs & Duché de Brabant* ch. X.

11) SIGEBERTUS ad a. 977.

12) Epistola XXX. ex Epistolis GERBERTI in collectione DUCHESNIANA T. II.

Illum sibi superbe magis, quam iuste potestateni qualem-
cunque in utrumque Ducatum arrogasse. Carolum secu-
tus est filius Otto, qui a. 1005. successorem habuit Go-
dofredum, ex Virodunensibus Ardenae Comitibus ortum,
hic vero a. 1019. fratrem Gothelonem, accessione superio-
ris Lotharingiae a. 1033. ditatum. Cum vero mortuo Go-
thelone restaurata fuerit Mosellanae formula, inferior
tantum Ducatus filio ipsius Godefrido IV. obtigit, cui
natus Godefridus V. Gibbosus a. 1070. successit. Hoc ex-
stincto Lotharingia inferior a. 1076. Conradum, Henrici IV.
Imp. filium, Germanicae juventutis Principem, venerata
est Duce; quem, a. 1093. exauktoratum, Godofredus Bul-
lionaeus fecutus est; ipso anno 1100. mortuo, Caesar a.
1101. Henrico Limburgi Comiti donavit Ducatum poten-
tia olim atque maxima amplitudine insignem, jam vero
per varia rerum discrimina misere turbatum atque di-
minutum^{13).}

Hos omnes, in quibus recensendis hactenus versatus
sum, Lotharingiae inferioris Duces, vicaria magis quam
propria auctoritate provinciam tenuisse satis compertum
est. Eadem inde ab initio Ducatui huic, quae reliquis
omnibus, formula erat. Penes Duces militare officium,
magistratus summus; utrumque innuunt Litterae Otto-
nis M. Imp. Aug. ad Brunonem fratrem datae^{14).} Caet-
erum conflat tardius in hocce terrarum tractu, quam in
reliqua Germania regum maiestatem Imperique vim exo-
levisse, quod attentiore cum cura Caesares invigilarent
provinciae, limitem Germaniae adversus Franciam confi-

¹³⁾ SIGEBERTUS ad hos annos.

¹⁴⁾ Litteras has exhibet RUOTGERUS I. c. cap. 17. ex quibus haec
huc faciunt. „In te namque & facerdotalis religio & regia pollet
„fortitudo, ut & fcas sua cuique tribuere, quod est justitiae, &
„politis adverfatorum five terrori, five fraudi refutere, quod est
„fortitudinis & justitiae.”

tuenti, atque, ut primum fors tulerit, opima pariter atque desideratissima Francorum praeda futurae. Ita quidem effectum est, ut Duces, severiore disciplina in obsequio retenti, minus graves legitimae incubuerint procerum libertati, quae firmissimum auctoritatis Caesareae munimentum erat; sed grassante ubique licentia, cum inter civilia bella, quibus Germania regnabit Henricis IV. & V. concussa est, fortissimus aut audacissimus quisque debiliores sub jugum mitteret, Proceres Lotharingiae femet ipsos in eam libertatem exererunt & eam sibi auctoritatem in sua quisque ditione vindicarunt, ut relicto Caesariis magni nominis suprematu, abrogata Ducum potestate, ipsi Domini terrarum evaderent, quibus olim cum honore magistratus praefuerant.

§. VII.

*Vicariatus Lotharingiae inferioris Ducatui
Brabantiae annexus.*

Stupenda rerum omnium conversio, cuius causas, initia, profectus superiore paragrapho attigi, novam prorsus Lotharingiae faciem induit, cum alia nulla Germaniae populorum comparanda. Promoverant permutationem ipse Lotharingiae inferioris situs limitesque, quos ei natura posuit, Ardennam silvam, Mosam atque Rhenum, unde ad mare excurrens omne Belgium, inter Hanonienses, Lovanienses, Geldricos, Limburgi Comites divisum, ac praeterea Colonienses, Leodienses, Clivientes & Juiacienses terras complectebatur¹⁾. In his omnibus aequa dominis potestas, ex spoliis majestatis Caesareae atque ruina Ducalis auctoritatis procreata. Tunc primum exauktorato Henrico Limburgensi, elogium Duci Lotharingiae infe-

¹⁾ BUTKENS *Trophées de Brabant* L. I. ch. 4.

rioris feudali lege Godofredo Barbato, Lovaniensium Comiti, collatum est, ad posteros transmittendum. Tantum vero abest, quin novi hi Lotharingiae atque Brabantiae Duces (*Ducs de Lothier & de Brabant*) antiqua praecelforum jura in dominos regionarios exercuerint, ut hi ipsi pari semper cum illis passu ambulaverint, ejusdem auctoritatis, libertatis, immediatae erga Imperium subjectionis, quibus Brabantini gaudebant, compotes. Neque tamen hic Ducatus sterilis omnino dignitas fuit praerogativarumque omnium expers. Contrarium docet insigne factum Ducis Godofredi II. a. 1140. cum Henrico II. Limburgen-
sium Duce belligerantis, qui, ut adversarii consilia everteret, subiecto oppido S. Trudonis, Aquisgranum ingressus "cum multo potentatu per biduum in sede judicaria refedit, exactiones, quas Ducem Lotharingiae exigere decebat, exegit & ne Henrici fautores essent, ostentatione potentiae suae deterruit" ²⁾. Ex eodem forte haud dubie derivandum est jus Advocatiae Superioris, quod Du-
ces Brabantiae sibi nullo non tempore in civitatem Aquensem assuerunt & Aquenses ipsi liberis suffragiis agnover-
runt. Testantur utrumque diplomata de a. 1277. & 1280,
quae LUNIGIUS ³⁾ exhibet, quibusque Johannes Lotha-
ringiae & Brabantiae Dux atque Senatus Populusque Aquensis sibi invicem bonam fidem, consilium auxiliumque promiserunt ratione nexus, quem Advocatia Super-
ior, in Johannem à praedecessoribus translata, inter eos constituerat. His addenda omnino sunt Litterae de a. 1599.
& 1600, quibus jura Advocatiae Superioris, si quae es-
sent, quibus Brabantiae Duces adhucdum gauderent,
salva iis fartaque ac illibata fore conventum est ⁴⁾. Nec de

²⁾ ALBERICI Monachi trium fontium Chron. ad a. 1140, in LEIB-
NIT. *Accession. hist.* T. I.

³⁾ Deutsches Reichs-Archiv, Partis specialis Cont. IV. p. 1442. & 1443.

⁴⁾ LUNIGIUS l. c. p. 1468. & 1469.

nihilo forte erit, quod, cum contentio nuper orta esset de finibus jurisdictionis, quam Palatinus Elector, utpote Juliacensis Ducatus possessor, in civitate Aqueensi ratione Advocatiae Inferioris⁵⁾ exercet, Carolus Lothariensis, Belgii Austraci Gubernator jure Advocatiae Brabantinae una cum Rege Borussiae, Circuli Westphalici Directore, litis arbiter propositus est⁶⁾. Sed haec per transennam dicta sunt. Cum abolita esset præfca Ducum Lotharingiae inferioris in Proceres primorum ordinum auctoritas, Imperatores, ut novum majestatis suae simulacrum inter hos erigerent, Ducibus Brabantiae jura plurima, quae Augustis ex ingenti jaclura supererant, speciali titulo commiserunt. Sic Conradus III. Rex Romanorum Godefridum III. Godefridi II. filium "omnium Ecclesiarum Ecclesiastica-
rumque personarum & bonorum eorundem sub principatu Lotharingiae constitutorum Advocatum instituit"⁷⁾. Sic a. 1219. in Comitiis Francofurti habitis Fridericus II. Imp. Aug. sanxit, ut Henricus I. Godefridi III. filius & successor "de universis bonis, quae de Ducatu suo mo-
ventur, omnium heredum mortuis parentibus de jure
Tutor habeatur"⁸⁾. Verum enimvero quantumcunque
splendoris atque praecminentiae haec aliaque jura, Brabantinis concessa, ipsis conciliarent, aliis omnino remediis
opus erat, ut majestas Imperatoria apud populos liberimis
ingenii proceresque alienae dominationis impatientissimos
restauraretur. Hoc itaque quam maxime consilio, Caesa-
res Augusti modo Ducibus Brabantiae, modo aliis Prin-

5) Inferior advocatia seu scilicet officium, à Richardo Juliacensi Comiti concessum, domui huic absque interruptione ab Adolphi Nas-
sovii temporibus, qui ejus concessionem restauravit, inhaeruit. cf.
BUTKENS l. c. p. 293, & in docum. p. 119.

6) cf. ANTON. FABRI *Neue Europ. Staats-Canzley*, T. XXVIII. c. VI

7) BUTKENS l. c. in docum. p. 39.

8) Idem l. c. eod. p. 66.

cipibus eam auctoritatem, vicario nomine exercendam, demandarunt, quae proxime accedebat ad legitimam Ducum antiquorum potestatem. Primus omnium Alfonius, Castellarum Rex in regem Romanorum per discordiam electus, Henricum III., Lotharingiae & Brabantiae Ducem, litteris d. 17. Kal. Nov. a. 1255. in civitate Burgensi datis, constituit "Universalem Tutorem, custodem & defensorem vasallorum, civitatum, oppidorum, terrarum & omnium iurium Imperii à Brabantia usque ad Rhenum & à terminis dioecesis Trevirensis in defensu Rheni usque ad mare cum potestate fibi rebelles corrigendi & ipsos conciliandi & levandi poenas pecuniarum obventiones redditus & proventus" ⁹⁾. Postmodum Adolphus, Romanorum Rex, Johannem I., Brabantiae Ducem Henrici III. successorem, cum ei jam a. 1291. omnia jura, praedecessoribus imperita, confirmasset, a. 1292. ordinavit "Advocatum principalem & rectorem & judicem generalem in aquis & in terris ad exercendum omnia, quae pacis observantiam respiciunt & Advocati principalis ad officium pertinere noscuntur, nostro & Imperii nomine exercenda à partibus circa fluvium Moselle usque ad partes maris, quod See vocatur & ex parte Rheni altera versus Westphaliā." Quapropter mandavit "universis Principibus tam ecclesiasticis, quam secularibus, Villis ceterisque Sacri Romani Imperii fidelibus in partibus praedictis constitutis, ut praedicto Duci hilares parere & humiliter pronis affectibus obediare curarent" ¹⁰⁾.

§. VIII.

Alii Vicarii in Lotharingia inferiore ad Eduardum III. usque constituti.

Haec de Vicariatu generali ac perpetuo, quem Brabantiae

⁹⁾ Idem l. c. eod. p. 95.

¹⁰⁾ Idem l. c. eod. p. 128.

bantiae Duces gessisse feruntur, sufficient. Jam de illis Principibus dicendum est, quibus vel pars modo terrarum sub Lotharingiae inferioris denominatione comprehensa-
rum, vel certum negotium vicaria cum potestate deman-
datum fuit.

Exempla complura in Annalibus reperiuntur. A Rudolpho I., Romanorum Rege, imperium in urbes Imperiales Noviomagum, Daventriam & vicinas usque ad Ravenswerdam Theodoricus, tunc temporis Cliviae Comes, accepit, quibus a. 1298. Albertus I., confirmata paterna concessione, gubernationem Duisburgi adjecit ¹⁾. Limites hujus Vicariatus ultra fines Lotharingiae protulit Ludovicus V. Imperator, dum omnem districtum, Rhenum inter & Visurgim late patentem, atque ad Westphalicum Archiepiscopi Colonensis Vicaratum antea relatum ²⁾, Cliviae Comiti subjicit ³⁾. Idem Imperator, cum alia prae-
mia in potestate non haberet, proceres, qui partibus suis adhaerebant, novarum dignitatum collatione sibi devin-
cire studens, fecero suo Wilhelmo Hannoniae, Hollan-
diae & Zelandiae Comiti a. 1330. in mandatis dedit, ut
fines & terminos Imperii circa partes Hannoniae &
terram de Ostervant versus regnum Franciae una cum
personis ab illustri rege Francorum electis suo nomi-
ne poneret ⁴⁾. Non possum, quin hic errorem no-
tem, quem Cel. MATHAEUS errasse mihi videtur, dum
mandatum illud, finium regundorum causa ad Comitem
Hollandiae directum, idem plane munus fuisse existimat
cum Vicariatu, quem Wilhelmo illi collatum fuisse me-
morat JOHANNES A BEKA ⁵⁾. Multae profecto mihi sunt

1) TESCHENMACHER in *Annal. Cliviae* P. II. p. 149. & 228.

2) SCHATENIUS in *Annal. Paderborn.* ad a. 1314.

3) TESCHENMACHER l. c. p. 222.

4) Diploma sicut MATHAEUS in *Analexis* T. III. secundae editio-
nis, in notis ad Belgicam versionem BEKAE, p. 202.

5) JOHANNES A BEKA de *Episcopis Ultrajectiniis.* In *Vita Gui*

rationes, quibus adducor, ut sentiam Vicariatum, cuius BEKA mentionem fecit & praedictam limitum definitionem prorsus inter se differre. Differunt sane in persona, quae utrumque constituit, in objecto, & in ipsa utriusque aetate. Auctor prioris mandati apud MATHAEUM solus est Imperator Ludovicus, à BEKA vero Vicarius alterius collatio tribuitur *Officialibus Imperii Romani*, quos Belgicus interpres, *Koervoersten*, in vernacula nuncupavit. Objec-
tum mandati panditur in Litteris a. 1330. nempe, ut li-
mites Hanoniae versus Galliam determinarentur. Vicaria-
tus vero longe alium finem nobis indicat BEKA cum WIL-
HELMO HEDA ⁶⁾ collatus. Nimirum constat ex utroque,
Wilhelmi Hollandiae Comitem ab Imperatore & majore
Electorum parte Vicarium Imperii in Lotharingia inferiore
constitutum esse, maxime ut Henricus Coloniensis Archi-
episcopus, qui Friderici Austriaci electionem promoverat
totisque viribus sustinebat, ad obsequium reduceretur, at-
que hoc agebat omnino Wilhelmus, cum castra Bruyl &
Volmenstein expugnaret. Rem omnem conficiunt notae
temporum longe diversissimae. Ambo historici, qui Vicaria-
tus Wilhelmini mentionem faciunt, profitentur, illum
in eos annos incidisse, quibus bella civilia inter Ludovi-
cum V. ac Fridericum Imperii aemulum adhuc servebant.
Haec vero arma jam a. 1325. composita funt, atqui man-

donis Episcopi XLII. haec leguntur: „Is comes inclitus per offi-
ciales Imperii Romani Vicarius regni deputatus in diebus suis
„multum gloriösus fuit, qui duo famosa castra, videlicet Bruyl &
„Volmenstein in Episcopatu Coloniensi expugnavit.”

6) WILHELMUS HEDA de Episcopis Ultrajectinis. In *Vita Johannis IV. Episcopi XLVII.* haec exstant: „Hic comes clari nominis
„exstitit apud inclitos: foxit electionem Ludovici Imperatoris con-
tra Fredericum Austriæ Archiducem, quem Archiepiscopus Co-
loniensis elegerat, unde Wilhelmus Vicarius Imperii designatus
„arces munitissimas Bruyl, Brolum & Volmenstein expugnavit.”

datum de finibus Hannoniae investigandis demum a. 1330.
editum est, cum Fridericus Austriacus diem postremum
pridem obivisset, atque Henricus Coloniensis jam per
lustrum majestatem Ludovici V. veneraretur.

Sic tandem ad aetatem perveni, quam Vicarius
Eduardinus illistravit; sed priusquam ipsam hanc tracta-
tionem aggrediar, liceat levissima manu statum Lotharin-
giae publicum adumbrare, qualis circa haec tempora ob-
tinuit.

§. IX.

Status publicus Lotharingiae inferioris post Conradi IV. tempora.

Ingentem rerum conversionem, quam regnum Hen-
rici IV. Aug. praeparaverat, cujusque prima elementa fu-
perioribus §§. indicavi, absolverat seculum XIII. Proce-
res Lotharingiae inferioris dubiam potius Vasallorum
fidem, quam ingenuam, quae Ordinem Imperii decebat,
fidelitatem Caesari ac Imperio exhibebant. Imperatorum
Regumque Germaniae alios inopia virium, alios cura re-
rum five Italicarum five domesticarum à vindicandis anti-
quis Imperii juribus absterrebant. Auxerant animos Pro-
cerum praeclarae virium divitiarumque accessiones. Has
impertiebantur commercia ubi vis egregie stabilita, illas
procuraverant felices plurium territoriorum sub eodem
Principe coalitiones, plerumque insalutatis, saepe invitis
Imperatoribus perpetratae. Sic Duces Brabantiae Limbur-
gensem Ducatum acquisiverant¹⁾. Sic Avenionenses Ha-
nnoniae Comites Comitatus Hollandiae ac Seelandiae, re-
luctante necquicquam rege Alberto I., sibi subjecerant²⁾.

1) HARAEUS in *Annalibus Brabantinis* T. I. p. 286.

2) *Annales rerum Flandricarum* autore JACOBO MEIERO Ballio-
tano, L. X. fol. 98. ed. Antwerp. 1561.

Ita denique Dampetrini Flandriae Comites quicquid terrarum ultra Scaldim beneficii lege à Germania tenuerat in ater, invitis Germaniae regibus, sibi vindicarant³⁾. Maxima tamen mali labes à vicinia Gallorum petenda est. Nam impatientes nimis ferebant reges Capetii nobilissimarum Lotharingiae provinciarum jacturam per inertiam ultimorum Carolidarum factam, ac de his recuperandis tanto intentiore cura cogitabant, quod inde facilis in viscera Franciae aditus Anglis pateret. Hinc discordias principum fovebant, & ne unquam omnes in foedera cum Anglis convenienter maxime laborabant. Neque confilium hoc destituit eventus, sed frequenter apud Collectores Actorum publicorum occurrunt tabulae foederum, quae Belgicorum Principum alii cum regibus Franciae, alii cum regibus Anglorum eodem tempore contraxerunt. His ipsi Imperatores quandoque acceperunt. Memorasse sufficiat foedus, quod a. 1296. in Gerardimonte iniverunt
 "Adulphus Caesar Anglicana allectus pecunia, Eduardus
 „Rex Angliae, Guido Comes Flandriae, Johannes Dux
 „Brabantiae, gener Eduardi, Henricus Comes Barenium,
 „& hic Eduardi gener, Albertus Dux Austriae, adversus
 „Philippum Gallorum regem Johannemque Comitem Ha-
 „noniae Galli tutantem partes"⁴⁾. Haec quidem minus frequenter contigerunt, cum Franciae & Angliae Reges de imperio solum Aquitaniae, Pictaviensis atque Normanniae provinciarum decertarent, sed passim obvenerunt, postquam Eduardus III. infaustum utrius Regno confilium cepisset, solum Francorum occupandi.

³⁾ Idem L. IX. & HARAEUS I c. p 262.

⁴⁾ MEIERUS I. c. L. X fol. 34.

§. X.

*Vicariatus Eduardini Occasio.*I^o. *Contentiones Eduardi III. cum Rege Galliarum.*

Ab instituto meo quam maxime aberrarem, si heic loci in causis bellorum inquirere vellem, quae Angliam, Franciamque inde à Seculo XI. per quadringentos & quod excurrit annos misere afflixerunt. Omnim praecipua causa fane superbia Regum Anglorum erat, qui nobilissimorum Franciae provinciarum heredes, fidem Galliarum regibus debitam sive detrectabant, sive eam solennibus homagii ligii formulis praestare negabant; forte & insignia rerum ipsorum in Francia incrementa invidiam Gallorum in eos excitaverant. His accedebat calumnia auxiliorum, quae Franciae reges amicis ac foederibus fibi junctis Scottis adversus invafores Anglos ferre assueverant. Haec erat rerum animorumque conditio, cum extincta triplice prole mascula Philippi IV. Pulchri, Francorum regis, a 1328. novus dissidorum fons aperiretur. Tunc enim Eduardus III, Anglorum Rex, jure materno, Isabellae nempe, quae filia Philippi IV. fuerat, diadema Galliarum ambivit: licet iam a 1316. Francorum proceres auctoritate legis Salicae judicassent, foeminas ab omni successionis jure in regnum Francorum penitus excludi¹⁾). Neque vero rationes Eduardi III., quibus postea sanctissimae sive Legis sive Confitudinis rigorem infringere conatus est, quicquam profecerunt; sed Philippus VI. Valesius, Caroli filius, Philippi III. nepos, Isabellae praedictae patruelis, judicio XII. Parium Franciae caeterorumque Regni Baronum publicis suffragiis Rex salutatus est²⁾). Tunc quidem Anglus, du-

1) PAULUS AEMYLIUS de gestis Francorum L. VIII. p. 263.

2) cf. *Illustres ex Britannica historia controversiae* cap. V. inter SCHOEPLINI *Commentationes hist.* p. 385.

bium an caussae an viribus diffidens, sententiae huic acquievit suamque fidem regi Ambiani obstrinxit ³⁾. Verum enimvero cum Philippus Bruylio, Scotiae regni aemulo, aduersus Balliolum, qui solium opitulante Eduardo occupaverat ⁴⁾, auxilia praebuisset, hujus odium, quod obiectum magis, quam extinctum erat, in publicas mox inimicitias conversum est. Accendebant Angli iras perfida consilia Roberti Artesii Comitis, qui postquam sententia Parium Curiae Artesiae Comitatu evictus fuisset, ex amico Philippi Regis strenuoque jurium ipsius defensore acerimus hostis factus, ubique vindictae locum quaererebat, atque excitatis ad rebellandum Flandris, jam Anglos in perniciem patriae armare conabatur ⁵⁾. Hujus consiliis excitatus Eduardus Philippum bello impetere statuit atque, ut suorum animos eo facilius sibi conciliaret, Francos autem à rege alienaret & ad turbas ciendas invitaret, a. 1337. Franciae heredem vindicemque jurium, per matrem Isabellam sibi transmissorum, se publice professus est ⁶⁾. Verum tamen abstinuit tunc elogio Regis Franciae, quod demum ab initio anni 1340. confilio Jacobi Artevillae solemniter usurpavit. Hic nimirum obscurō genere natus, sed apud plebem Gandavensem majore auctoritate pollens, quam ipse Comes, facem praetulerat rebellioni per Robertum Artesium in Flandria excitatae. Tunc vero cum animos suorum religione pauci, quo nuper fidelitatem regi Franciae spoponderant, graviter perculfos cerneret, Eduardo auctor factus est, ut, ne Flandrenibus dubitatio supereret, an sibi liceret partes Angli suscipere

³⁾ in *Chronique de FROISSART* P. I. chap. 26. & in RYMERI *Aës publicis* T. II. P. III. p. 27. 61. 63.

⁴⁾ RYMER l. c. p. 84. 105.

⁵⁾ PAULUS AEMILIUS l. c. p. 271. & sq.

⁶⁾ RYMER. l. c. p. 187.

“ ipse non modo Regem Angliae se, sed & Franciae scribere & vexillis, parmis, signis liliatis etiam uteretur;
 „Flandris enim nullam poenam commissum iri, si Franco
 „regi verbis devincti, Eduardo regi & Angliae & Franciae
 „scribenti dicto audientes fuerint” ⁷⁾.

§. XI.

2º. Eduardi Foedera.

Eduardus, Philippo Valefio arma illaturus, habito cum focero Wilhelmo III. Bono, Hanoniae atque Hollandiae Comite, confilio ¹⁾, illud primum sibi allaborandum esse ratus est, ut Belgii procerum favorem atque auxilia sibi conciliaret. Nec ulli ante ipsum Anglorum Regi rem tanti momenti facilitore molimine tentare fata concesserant; namque Johannes III., Brabantiae Dux, amita Eduardi natus, arctissimo cognitionis vinculo ipsi conjunctus erat. Praeterea Rex fororem unicam Rainaldo Gelriae Comiti uxorem dederat & ipse Wilhelmi III. Hanoniae, Hollandiae ac Zelandiae Comitis filiam natu minorem duxerat, cuius fororum tertia Juliacensi Marchioni Wilhelmo nupserat; ita quidem ut Eduardus omnium fere Belgii procerum affinis evaderet. His igitur sub auspiciis Anglus ab initio a. 1337. Henricum Episcopum Lyncolniensem splendido cum comitatu legatum “ad partes transmarinas” destinavit, qui foederibus cum Romani Imperii Principibus ineundis operam navaret ²⁾. Eodem fere tempore sub finem anni 1336, scriptis ad Comitem Hanoniae, ficerum carissimum & ad Comitem Juliacensem litteris, utrique potestatem dedit “cum potentibus,

⁷⁾ PAULUS AEMYLIUS l. c. p. 275. & sqq. & RYMER l. c. P. IV.
 p. 62 & sqq.

¹⁾ FROISSART l. c. ch. 29. & HARAEUS l. c. p. 317. sqq.
²⁾ RYMER l. c. P. III. p. 166.

„prout expedire viderint, Alligantias conventionesque
 „ineundi“³⁾). Foedera deinde magno numero fecuta
 utramque apud RYMERUM paginam complent, ex quibus
 eorum tantum mentionem heic facere visum est, quae
 viam ad Vicariatum praeparaverant. Primum omnium
 constat, legatos illos non tantum cum Brabantiae Duce,
 Comite Hollandiae, Hanoniae atque Zelandiae, Comite
 Geldriae, Marchione Juliacensi, Coloniensi Archiepiscopo
 permultisque aliis inferiorum partium magnatibus conven-
 tiones iniisse, quibus illi gravissimo auri pondere Eduardo
 auxilia vendebant, sed & ejusdem legatos Duces Au-
 striae, Comitem Palatinum Rheni, Marchionem Bran-
 deburgensem in partes suas coemisse. Verum cum An-
 glus, ingentium promissorum spe accutus, mense Julio a.
 1338. in Belgium trajecisset atque Antwerpiae à Principi-
 bus petiisset, ut fidem, legatis suis obstrictam, jam exfol-
 verent, hi, conventu Hallae Flandricae celebrato, memo-
 rabile omnino responsum ipsi dederunt, quod ex Froissart
 , qui Eduardo III. ab epistolis fuit, transcribere
 juvat. “Cher Sire, nous ne voyons cause de défier le Roy
 „de France, tout consideré: se vous ne pourchacez que
 „vous ayez l'accord de l'Empereur & qu'il nous com-
 „mande, que nous défions le Roy de France de par lui:
 „& la cause peut être telle. Car de longtems a été con-
 „venancé & feillé, que nul Roy de France ne doit tenir,
 „n'acquerir riens sur l'Empire: & ce Roy Philippe a ac-
 „quis le chastel de Crevecoeur en Cambrefis, & le chastel
 „d'Alves en Pailleul, & la cité de Cambray; par quoy
 „l'Empereur a bien cause de le défier par nous. Si vueil-
 „lez pourchacer son accord pour nostre paix & honneur“⁴⁾.

Froissarti

3) Idem l. c. p. 157.

4) FROISSART l. c. ch. 33.

Froissarti testimonium confirmat atque illustrat ALBERTUS ARGENTINENSIS⁵⁾). Hoc vero Belgarum decretum Eduardus III. minime inexspectatum fuisse vel inde patet, quod ipsi jam a. 1337. d. 12. Jul. , dum adhuc in Anglia verlaretur, a Wilhelmo IV. Hanoniae & Hollandiae Comite auxilium ea tantum lege promissum sit “en cas ke, Treshaus „Princes & Poiffans, li Empereres des Romainz, vofit „entreprendre, come Principals Chievetains, par lui, „ou par son Vicaire, ou par son Lieutenant, pur les „Droitures del Empire retenir, defendre, purchachier „& recouvrer, Ou ke nous fussiens Roys d'Allemaigne, „ou Vicaires de l'Empereur, ou du Roy, ou ses Liute-„nstants, Ou autres de no consentement, fuist Lieutenant „don dit Empereur, qui est ore, ou de son Successoer, „Roy d'Allemaigne, ou Empereur, aiens plein pooir de „Somonre les Princes, les Barons & les Hommes, don „Royaume d'Allemaigne, par leur Fois & leurs Sieremens, „de aider, awarder, retenir, purchacher & recouvrer les „droitures deseunredites, tels qe on ne le peust oster, ne „repieiller, sans no Volunter & Attroi”⁶⁾). Caeterum ad Halensem confessum procul dubio referendae sunt Litterae Benedicti XII. Pontificis Maximi, quibus Philippo Valesio nunciabat, folennibus tractatibus propositum fuisse, “ut Ludovico de Bavaria juri Romani imperii, per eum usur-

5) in *Chronico apud URSTIS.* T. II. p. 127. haec extant: „Quamvis autem iidem Principes Aquilonis ipsum Francum ipsum gravem, exosum haberent, cum tamen omnes, quasi ejus essent vasalli, nili ab Imperatore moverentur, cuius essent homines ligii, invadendi eum cum honore occasionem aliquam non habebant.”

6) RYMER I. c. P. III. p. 179. DUMONT *Corps diplomatique* T. I. P. II. p. 161. perperam Wilhelnum, quocum Eduardus hancce conventionem init, Bonum salutat, cum ipse, qui Illius fuit, iam mense superiore vitam finivisset, nec ab Eduardo frater sed sacer compellandus fuisset.

„pato, cedente, sibi que regno Alamanniae retinente; Rex Angliae in Imperatorem eligeretur, vel ut idem Rex irrevocabiliter ad vitam suam Vicarius regni Alamanniae pro parte inferiori deputaretur, ut opportunius & fortius regnum Franciae impugnare posset“⁷⁾. Sed has qualemque confoederationis leges Eduardus Imperatori Ludovico V., cuius animum nondum exploraverat, aperire satis prudenter superfedit, hoc tantum litteris agens, ut iram ipsius in Philippum Valesium accenderet eumque ad recuperanda Imperii jura, quae Franci occupaverant, excitaret⁸⁾. Praeparato per has artes Imperatoris animo Eduardus Julianensi Marchioni atque quibusdam nobilissimis Anglis in mandatis dedit, ut Imperatorem adirent & cum eo de negotio, quod Belgarum Principes animo volvebant, intentius tractarent⁹⁾.

§. XII.

3º. Imperatoris cum Philippo Galliae Rege Contentiones.

Ludovicus V. Imperator Augustus utriusque aemulorum affinitate junctus erat, arctiore tamen Eduardo, utpote Imperatricis sororis marito, qui etiam maiore apud illum gratia pollebat, quam Philippus. Caussas odii in Francum historiā contentionum pandit, quae Sacerdotium atque Imperium hoc aevo misere afflixerunt, quibusque alendis Reges Galliarum materiam praebuisse dicuntur. Origines mali inde jam repetenda sunt, cum Carolus IV. Philippi Valesii praedecessor à Johanne XXII. P. M. excitatus, coronam Imperii, Ludovico eripiendam, ambiret¹⁾. At cum mors Caroli Pulchri consilia haec evertis-

7) RAYNALDUS in *Cont. Annal. Baronii* ad a. 1337. n. 12.

8) RYMER l. c. p. 184. & sq.

9) FROISSART l. c.

2) RAYNALDUS l. c. 2d a. 1324. n. 26.

set, Philippus Valesius Ludovici V. propositum restaurandum finium Imperii, utpote contra se potissimum directum, animadvertisens, omnibus curis eo annis est, ne Ludovico tranquillum imperium esset, atque non opus erat aliis mediis ad hunc finem obtinendum, quam quae altus Innocentii XXII. P. M. animus invenerat: mei tamen non est renovare memoriam decretorum, quibus Pontifex iste majestatem Imperii sibi subjectam esse declarabat, atque Caesarem sacra Imperii jura propugnantem ejerabat. Sufficiat memorasse, quod Philippus circa haec, quae Eduardinus Vicariatus illustravit, tempora, totus in eo fuerit, ut Benedictum XII. à consilio redintegranda cum Ludovico V. amicitiae averteret²⁾. Cum Philippo conspirabant Robertus, Neapoleos Rex, quem Vicariatus Italici conservandi sollicitudo tenebat, & Johannes, Bohemiæ Rex, qui, solum Caesareum inhians, ruinam Ludovici Augusti eo maxime tempore procurabat, quo se ipsi amicissimum profitebatur. Ludovicum, his omnibus ipsi notissimis irritatum, adierunt legati ab Anglo missi, qui ipsum ad bellum Philippo inferendum accenderent, simulque ex procerum Belgii mente invitarent, ut Eduardo curam belli & vicariam potestatem Imperii nomine in omni Germania inferiore exercendam committeret. Placuit consilium Ludovico, qui & gloriae suae & majestati Imperii immensum quid accessurum esse arbitrabatur ex collato Regi potentissimo Vicariatu provinciali³⁾. Neque deerant ipsi

2) MUTIUS in *Chron. Germ.* apud PISTOR, T. II. p. 876, talia exhibet: „Rex Galliae minabatur etiam, se Pontificem habiturum „pro hoste Catholicae ecclesiae, si Ludovicum Imperatorem non „habeat pro excommunicato & heretico.“ cf. von OHLENSCHLAGER Geschichte des Römischen Kaiserthums in der ersten Hälfte des XIVten Jahrhunderts. Ex quo me plura sumissse lubenter profiteor.

3) MARTINI POLONI CONTIN. apud ECCARDUM T. I. col. 1455.

rationes belli, quo Valesium maxime ex Belgio prosequetur. Praecipua videbatur, quod Rex Galliarum occupaverat Cameracum, nobilissimam Belgii civitatem, *Camerane Imperialis* elogio ut plurimum insignitam, unde constabat eam ad proprium Imperii patrimonium ita spectavisse, ut neque alienari neque separari potuerit⁴⁾. Quo facto Philippus VI. eo gravius Caefarem atque Imperium offendisse dicebatur, quod lege peculiari caustum fit, nequid terrarum intra Imperii fines acquirere Franciae fas esset⁵⁾. Praeterea reges Francorum plurimas regni Arelatensis partes in suam potestatem redegerant, de homagio Caefaribus inde reddendo minime folliciti, cuius obsequii neglectu privationis poenam eos incurrisse passim affirmabatur.

S. XIII.

Eduardini Vicariatus Creatio.

Rebus omnibus sic rite praeparatis Eduardus III. ex Belgio ad Confluentes se contulit, ubi Caefarem condita die obvium habuit. Ingentem de Curia Romana triumphum tunc agebat Ludovicus ob damnata in Comitiis Francofurtanis decreta Johannis XXII. P. M. stabilitamque, plaudentibus uno ore proceribus omnibus, libertatem Imperii Caefarumque majestatem. Hinc & ipse fortium consiliorum capacior factus erat & ordines promtores habebat ad approbandum quicquid in Philippum, Pontificis fautorem, statueretur. Mei non est acta confessus Confluentini uberius exponere, quae cel. OHLEN-

⁴⁾ BALUZZIUS in notis ad *Vitas Paparum Avenionensium* T. I. col. 803. THEODOR. DE NIEM ad al. 1337. apud ECCARDUM T. I. col. 1500. & VILLANI *Storie Fiorentine* L. XI. c. 84. apud MURATORIUM *Script. rer. Ital.* T. XII.

⁵⁾ v. FROISSARTI verba in §. superiore recitata.

SCHLAGERUS¹⁾ ex instituto pertractavit; satis est hic notasse, quod Ludovicus, solenni pompa pro tribunali sedens, auditis omnibus, quae in Valegium undique congregebantur, hanc sententiam pronunciaverit: Philippus feudis, ditionibus, juribus quibuscumque, quae ab Imperio tenebat aut intra ejus fines acquisiverat, privatus esto, nempe ob homagium fine neglectum, fine denegatum: Eduardo Normannia, Aquitania, Andegavensis Ducatus, antiqua gentis sua patrimonia, restituuntur: Ipse universae Franciae haereditatem jure materni sanguinis cernito: Germaniae auxilia ipsi, haec omnia ad effectum ducturo, praefesto funto²⁾. His ita peractis, Caesar ut Anglo majorem auctoritatem conciliaret, simulque jus proceribus Belgii copias, arma, comiteatus imperandi firmaret “omnibus, Electoribus Imperii, demito rege Bohemiae, ac aliis Principibus, Praelatis, Nobilibus &c. praesentibus, apud Confluentiam supra Rhenum tenuit consistorium Imperiale, in quo ipse cum diademate, sceptro & aliis insignibus imperialibus praefidebat; ibique de consilio Electorum, Principum & Procerum suorum Eduardum III. regem Angliae personaliter ibi praesentem VICARIUM Imperii solenniter constituit³⁾ & de toto Imperio citra Coloniam & omnibus Imperium tangentibus VICARIUM denominavit⁴⁾. Eduardus vero postquam fidem suam Ludovico Caesari solenni ritu obstrinxerat, ingentem illi pecuniam, in stipendia militaria erogandam, publica sponfione pollici-

1) I. c.

2) MART. POLONI CONTIN. I. c. & ANONYMUS LEOBIENSIS in Chiron. inter PEZII Script: rer. Austr. T. I. p. 953. ad a. 1338. Cap. VIII.

3) Excerptum Codicis 720. Bibliothecae Colbertinae apud BALUZZIUM I. c. col. 801. ac iisdem fere verbis EDMUNDUS DINTER in Hist. Brabant. Msc. cap. XXI. vide infra in Cod. Probat. N. I.

4) WALSHINGHAM in Hist. Angl. ad a. 1338. & Idem in Topodi-gmate Neustriae ad h. a.

tus est ⁵⁾). Nequid autem ad sanctitatem foederis hujusc
deesse videretur, Imperator & Anglus illud die sequente
“in Ecclesia matrice” sacramento stabiliverunt, quo facto
Caesär caeterique Germaniae proceres Eduardo conceptis
verbis juraverunt, “se ipsum juvare & manutene velle
„contra regem Franciae ad vivere & mori per VII. annos
„proxime integraliter sequentes, si guerra inter dictos re-
„ges tanto tempore duraret; quod si vero contingeret ali-
„quem Procerum Germaniae inferioris regi Angliae non
„obedire, tunc caeteri de alta Alemannia insurgerent con-
„tra ipsum & eum destruerent” ⁶⁾). Ex hac rerum serie,
testimonia nobilissimorum historicorum suffulta, facile
elucescit; male omnino à nonnullis Annalistarum hujus aevi
perhiberi, quod Vicariatus Eduardini instituto Franco-
furti celebrata fuerit; quam praeter autores jam citatos
coaevus LEWOLDUS a NORTHOFL ⁷⁾, CONTINUATOR
MARTINI POLONI, HENRICUS a REBDORFF, NICOLAUS
MINORITA, TRITHEMIUS aliisque diserte Confluentibus
vindicant ⁸⁾. Locum errori forte praebuit, quod Ludovicus
V. anno sequente in Comitiis Francofurtanis conce-
ssionem Vicariatus Eduardo iteraverit, prouti inferius dic-
etur. Nec audiendus est FROISSARTUS, quantacun-
que sit illius in his omnibus autoritas, cum eam per
legatos Eduardi, qui & Anglo tabulas Augustales de
collato ipsi Vicariatu fidem facientes attulerint, procu-

5) MUTIUS I. c. p. 877.

6) HENRICUS DE KNIGHTON de eventibus Angliae L. IV. col. 2572.
in Collectione SELDENI & TWYSDENI.

7) in Chronico Comit. de Marca ad a. 1338. apud MEIBOMIUM
T. I. p. 402.

8) Huc referenda quoque notitia coaeva ap. HONTHEIM I. c. pag.
129. quae primum parliamentum inter Ludovicum Augustum &
Eduardum in insula Rheni ex opposito villae Vallender habitum
esse memorat; licet per incuriam librarii annus 1337. pro 1338.
adscriptus fuerit.

ratam fuisse innuit. Eduardum fane *personaliter* Confluentibus adfuisse EDMUNDUS DINTER memorat atque scriptores, Anglos pariter atque Germanorum praecipios, consentientes habet. Verum haec quoque conciliares, si conjecturam probaveris, Eduardum rebus prospere gestis illico in Belgium rediisse, reliquo legatis suis mandato, ut tabulas ferius exaratas sibi afferrent, hos vero menfe Novembri eas Anglo pertulisse.

§. XIV.

Dubia Vicariatus Eduardini Autoritas.

Redux in Brabantiam Eduardus hoc primum omnium curae cordique habuit, ut acta confessus Confluentini proceribus Belgii nunciaret, mandata Caesaris exponeret, Vicariatusque sibi commissi litteras, sive secum allatas, sive per legatos ad se transmissas, exhiberet. Eum in finem communicato cum Johanne III., Brabantiae Duce, consilio, Harkam, quod Loffensis Comitatus oppidum est, comitia procertum Germaniae inferioris indixit¹⁾, in quibus

1) Exemplar litterarum indictionis in *Cod. Probat.* N. IV. subjicio. De eodem conventu FROISSART l.c. chap. 35, haec refert: „Or revindrent de l'Empire, environ la Toussaints, le Marquis de Juliers & sa compagnie. Si signifa au Roy Eduard sa revenue, & luy manda que, Dieu mercy, il avoit bien exploité. Le Roy Eduard luy rescrift que à la fete de Saint Martin fut devers luy: & demanda le Roy au Duc de Brabant, ou il vouloit que ce parlement se tenist: lequel Duc respondit à Arques, en la Comté de Loz, près de son pais. Et adoneques le Roy le signifa à ses alliés, qui tous y vindrent. Si fut la halle de la ville bien encourtinée de beaux draps & riches, comme la chambre du Roy: & fut le Roy assis, la couronne d'or moult riche & noble au chef, plus haut cinq pieds que tous les autres. Et lors, par devant tous ceux, qui là estoient, furent leues les lettres de l'Empereur: par lesquelles le Roy d'Angleterre estoit constitué & establi son vicaire & son Lieutenant pour luy: & luy donneoit pouvoir de faire loy & droit à chacun au nom de luy & de faire

Anglus primum tabulas Augustales, semet Vicarium Imperii per universam Germaniam inferiorem constituentes, publice recitari fecit; deinde alias litteras edictales exhibuit, quibus Caesar principes regionis vastissimae admonebat, ut Eduardum, exercitum in Franciam ducentem, armis copiis que ac commeatu juvarent. Servarunt eas nobis EDMUNDUS DINTER, & alii²⁾. His ita peractis Eduardus, ut Ducem Brabantiae sibi propensiorem redderet, illum sui ipsius Vicarium generalem in omnibus, quae ad Franciam ex pugnandam spectarent, constituit³⁾, atque mox novum conventum proceribus Mechliniam indixit, ubi de summa belli ageretur⁴⁾. Verum deferbuerat jam ardor Princium

„monnoye d'or & d'argent aussi au nom de luy. Et commandoit „par ces Lettres, que tous ceux de son Empire, & tous autres, „à luy subjets, obéissent à son dit Vicaire, comme à luy même: „& assent feauté & hommage au Vicaire de l'Empire: & que tan- „toit la endroit fut clamé & respondu entre les parties, comme „devant l'Empereur, & jugé droit à la femonse de luy. Et fut là „endroit renouvelé un jugement & statut, & affermé: qui avoit „été fait à la court de l'Empereur, le temps passé. qui estoit tel „que, qui vouloit autrui grever ou porter dommage, il le devoit „défier suffisament trois jours devant son fait: & qui autrement „le faisoit, il devoit estre r'attainct de mauvais & vilain fait. Quand „tout ce fut fait, les Seigneurs se départirent & promirent les „uns aux autres d'estre appareillés, fans delay, trois femaines „après la Sainte Jehan, pour aller devant la cité de Cambray, „qui doit estre de l'Empire & estoit tournée pardevers le Roy de „France.”

2) v. *Litteras ab EDMUNDO DINTERO in fine N. I. Cod. Prob. re-latas. JOHANNES À BEKA in Johanne III. p. 115. & JOHANNES À LEYDIS L. XXVIII. cap. 3.*

3) RYMER I. c. p. 193.

4) FROISSART I. c. chap. 36. „Ces Seigneurs d'Allemagne à la fe- „monce du Roy d'Angleterre vindrent à Malines: & s'accorderent „assez communément, après moult de parolles, que le Roy An- „glois pouvoit bien mouvoir à la quinzaine ensuyvant: & estoient „adonc tous appareillés. Et, à fin que leur guerre fust plus belle, „ils

pum Belgarum: Princeps omnium Brabantinus animum
 mutavisse videbatur, sive Valegio, cuius patruellem foro-
 rem Mariam, Ludovici Ebroicensis filiam, thori sociam
 habebat, magis faveret, quam Eduardo amitino suo, sive
 Vicariatus Anglo commissus ipsi invidiam movisset, quod
 eum in contemptum sui atque in praejudicium jurium ver-
 gere arbitraretur, quae ipsi ratione Ducatus Lotharingiae
 inferioris & vigore Litterarum Augustalium Adolphi Regis
 competebant. Quicquid eorum sit, constat omnino Bra-
 bantinum longissime ab eo abfuisse, ut Philippo bellum
 interne civum inferret. Novimus sane illum, jam ab initio
 motuum horam, legatos in Franciam destinasse, qui Re-
 gem monerent, nequid sinistri ob Anglum receptum de-
 se suspicaretur ⁵⁾. Jamque cum de bello fortiter incho-
 ando consultatio instituta esset, is legatos tantum Mechli-
 ni misit, qui coetu amplissimo significanter, se pro-
 priis auspiciis, privatim temporeque opportuno, quae
 sibi incumbarent, exsecuturum esse ⁶⁾. Deinceps vero,

„ils s'accordèrent (comme faire se falloit) d'envoyer leur défiance
 „au Roy Philippe. Premièrement le Roy d'Angleterre, le Duc de
 „Guerles, le Marquis de Juliers, messire Robert d'Artois, messire
 „Jehan de Haynaut, le Marquis de Mulé, le Marquis de Blan-
 „quebourg, le Sire de Fauquemont, messire Arnoul de Bacqueghen,
 „l'Archevesque de Coulongne, messire Galetas son frère, & tous
 „les Seigneurs de l'Empire, qui chefs se faisoient avecques le Roy
 „d'Angleterre. Si furent ces défiances escriptes & feillées, excepté
 „du Duc Jehan de Brabant: qui dit qu'il feroit son fait à par lui,
 „à temps & à point”

⁵⁾ HARAEUS I. c

⁶⁾ FROISSART I. c. & HOCSEMIUS de gestis Pontif. Leod. in Vi-
 ta Adolphi à Marca inter CHAPEAUVILLII Script. Leod. T. II.
 p. 449. „Tunc tanquam Vicarius omnes requivit, quatenus affi-
 stere vellent ei, pro injuriis Imperii vendicandis. Qui omnes
 ,consenserunt, exceptis nunciis Ducis & Comite Hannoniae, qui
 deliberationem petierunt.”

Necet pro imperio ad arma capessenda excitatus ⁷⁾, confosciatis copiis demum se junxit, cum Cameraci oppugnationem inchoasset Eduardus, ac constaret eum à confilio belli jam non recessurum esse ⁸⁾. Eundem fere animum Imperii Vicarius apud affinem Wilhelmmum, Hollandiae atque Hanoniae Comitem deprehendit. Hunc quidem supra inter praecipios autores consilii de Vicariatu Imperii Anglo conferendo numeravi. At vero cum jam de Francia invadenda in conventu Mechlinensi ageretur, eadem prorsus, qua Johannes Brabantinus, mente Eduardum sequi detrectavit, nempe petito tempore ad deliberandum, num officii sui aut e re sua esset, Philippum armis impetrare ⁹⁾. Hinc est, quod nomen Wilhelmi inter proceres, qui Valesio *diffidationem* miserunt, omnino desideretur. Postea tamen cum Anglo in has leges convenit: ut illi, ceu Vicario Imperii, jura Imperii vindicant, ac ipse Imperii vasallus, intra fines Imperii per Gallum invasos propriis sumtibus auxilia praefestaret, nec Eduardus ditiones ipsius cum exercitu intraret ¹⁰⁾. Inter caeteros Belgii proceres eminuit constantia Episcoporum Cameracensis atque

7) Copiam litterarum Eduardi, die 20. Novembris ad Ducem Johannem datarum, in Extracto DINTERI cap. XXII extantium, ex Autographo transmissarum in Cod. Probat. sub N. V. addo.

8) FROISSART l. c. chap. 19.

9) HOSEMUS l. c.

10) RYMER l. c. P. IV. p. 50. duplex diploma exhibet. Primo Eduardus Wilhelmo fidem suam adstringit, nec se nec socios suos terras Comitis citra ejus consensum intraturos esse cum exercitu. Secundi inter alia haec verba sunt: „Come nos Chiers & Ames „Frer, li Contes de Haynaut, soit tenus de nous VICAIRE des „fusdit, come foiable de l'Empire, a son pooir, & il nous voille, „come Roy d'Engleterre, pour l'Amour & Affinitet, que nous „avons ensainle de par le Royme, nochier Compaigne, si Soreur „& de par nous effans, ki luy sont li prochain, servir a ses frais, „de luy & de Chiens de ton Pays en l'expedition devantte „DEPANS LES BORNES DE L'EMPIRE.”

Leodiensis, qui neque precibus, neque minis, neque ipsa
vi adhibita adigi potuerunt, ut Vicariatum Eduardinum
agnoscerent. Cameracensi quidem antiqua cum Gallia foe-
dera erant; utrique vero Episcopo Benedictus XII. P. M.
pro ea, quae sedi Apostolicae in eos competebat, auctorit-
ate, interdixerat, ne ullum Vicario Ludoviciano, contra
jus fasque constituto, obsequium exhiberent¹¹⁾. Obtem-
peraverunt Praesules his mandatis; neque Cameracensis
vadimonium, quod Eduardus ipsi ad Valentianas con-
stituerat, obivit¹²⁾), neque Leodiensis, etiam si sub poena
privationis omnium, quae ab Imperio tenebat, citatus¹³⁾,
ad diem adfuit, ita quidem ut Anglus illum Caesari per-
duellionis reum denunciaverit¹⁴⁾.

§. XV.

Eduardi Vicarii Res Gestae.

De Conventu Mechliniae celebrato jam dictum est,
quod Eduardus eum egerit, ut de bello Franciae inferen-
do inter proceres Belgij contuleretur. Frequentes heic ad-
suerunt Principes, Augustali Vicario obsequium ferentes
aut stipendiis Anglicis Eduardo devincti; atque quantumvis
in alia omnia abeuntibus Brabantino ac Hannonensi
decretum est, Philippo regi bellum more antiquo denun-
ciandum esse. Hunc in finem Episcopus Lincolnensis cum
litteris *diffidationis*, à Procerum multitudine subscriptis, Le-
gatus ad clarigandum bellum in Franciam mittitur¹⁵⁾. Pro-
latum tamen fuit bellum, tardantibus auxiliis, quae Ludo-

¹¹⁾ HOCSEMIUS l. c. p. 449. & 450. & RAYNALDUS l. c. ad
a. 1338. n. 69.

¹²⁾ FROISSART l. c.

¹³⁾ HOCSEMIUS l. c. p. 449.

¹⁴⁾ KNYGHTON l. c. col. 2572.

¹⁵⁾ FROISSART l. c. chap. 36.

vicus Imperator ex pacto Confluentino suppeditare debebat, nec in comitiis Francofurtanis, ineunte anno 1339. habitis, abnuebat, in quibus non solum Vicariatus Anglo continuatus atque firmatus est, sed & stabilita sunt foedera Philippi invadendi causa nuper fancita, ac iteratae pollicitationes Augusti, se cum lecta manu subsidiariorum tempestive in Belgio adfuturum esse²⁾. In summam enim aestatem moras prorogavit Ludovicus, dubium an poenitentia facti ductus³⁾, an indignatus, quod Eduardus stipendia sibi ex pacto debita neque integra, neque mature fatis numerasset⁴⁾. Tandem tamen filium primogenitum Ludovicum Marchionem Brandenburgensem cum centum galeatorum cohorte, ingenti voluntariorum vi stipatum, in Belgium misit⁵⁾. Tunc Anglus negotium perfecturus Cameracum cum maximis copiis oppugnavit⁶⁾. Opem tunc Johannes Brabantinus & Wilhelmus Hanoniensis, Vicario Imperii, turbatos Imperii fines restituturo, ferebant. Postquam autem Eduardus, de expugnatione urbis desperans, consilia ad invadendam Franciam convertisset, Wilhelmus & Comes Namurcensis signa ipsius deferuerunt, causam afferentes, se omni officio Valfallorum Imperii jam functos esse, neque sibi privatas eum Valesio intercedere simultates⁷⁾. Hanonius quoque religionem foederis cum Eduardo conclusi nihil faciens, cum 500 galatis ad Valesium tetendit, ipisque per reliquum annum

2) Lersiners Frankfurter Chronik, L. I. cap. 23. p. 322.

3) MUTIUS I. c. p. 877.

4) HEINRICUS REBDORFF ad a. 1339. ap. FREHER. T. I. p. 618. & ALBERTUS ARGENT. I. c. p. 128. EDMUNDUS DINTER cap. XXIV. HOCSEMIUS I. c. p. 452.

5) ALBERTUS ARGENT. I. c. VILLANI I. c. L. XI. c. 84.

6) VILLANI I. c. MEIERUS I. c. L. XII. ad a. 1339. EDMUNDUS DINTER I. c. FROISSART I. c. ch. 39.

7) FROISSART I. c.

strenue militavit ⁸⁾). Interea Anglus, soluta Cameracensi obsidione, Franciae fines, quam late inter Scaldim Mosamque ac Samaram patent, ferro ac flammis atrociter vastavit, praecedente semper exercitum cum incendiariis Ludovico Brandenburgenfi ⁹⁾). Tandem hieme ingruente, postquam Valesium frustra ad proelium provocasset, copias ingenti preda potitas reduxit ¹⁰⁾). Quam maxime tunc Eduardum penuria rei pecuniariae premebat, ita ut magnam regni Anglicani coronam Balduno Trevirensi antistiti, coronam autem regiam Philippae Reginae Coloniae Agripiniae pignori dederit ¹¹⁾, cui inopiae sublevandae cum profecitionem in Angliam moliretur, Proceribus Belgii, qui de reditu ipsius ob stipendia sibi debita solliciti erant, reginam principesque aulicorum obsides reliquit ¹²⁾. Priusquam autem transferit, Flandrenses, praecunte Artevelli, in verba Eduardii, jam Franciae regem se profitentis, juraverunt ¹³⁾). Interea à Caesare litteras edictales accepit, per quas omnibus & singulis Sacri Romani Imperii in Germania inferiore fidelibus imperabat, ut Eduardo, regi Angliae illustri, tanquam suo & Imperii Vicario, Cameracenses ad obsequium reducturo, suppetias ferrent, seque omnia, quae illi adversus cives perduelles actum iherint, ratihabiturum esse spondebat ¹⁴⁾). Tunc Hanoniensis quoque Wilhelmus indignatione accensus, quod Franci Cameracensibus contra Hasprenses subditos suos opem tulissent, iterum ad Anglium defecit missisque ad Valesium per Abbatem Crispinensem Litteris se fuosque hostes ipsius

8) Idem. chap. 41. & PAULUS AEMYLIUS p. 275.

9) ALBERTUS ARGENT. I. c.

10) FROISSART I. c. chap. 41. 42. 43.

11) HONTHEIM I. c. p. 137. 141. & RYMER I. c. p. 42. 45. & 74.

12) HARAEUS I. c. p. 320. & RYMER I. c. p. 57. & 58.

13) RYMER I. c. p. 62. & seqq.

14) Litteras ipsas exhibet N. II. Cod. Probat.

declaravit ¹⁵⁾). Sed pessime illi successerunt suscepae in-
consultis viribus inimicitiae; universam enim Hanoniam de-
vastare jussit Valefius, dum Wilhelmus Angliam atque
Germaniam, auxilia implorans, circumiret ¹⁶⁾). Dum haec
in Belgio aguntur, Eduardus in Anglia classem plusquam
centum & viginti carinis potentem praeparavit, jamque
per vectigalia recens imposita atque ultroneas suorum col-
lationes locupletatus, naves ascendit; cum illi Valefius clas-
sem utique numerosiorem objiceret, ipsum ab ottio Scal-
dis prohibiturus. Inde navali praelio, prope Slufam Flan-
dricam inito, Franci vieti navibusque innumeris spoliati
fuerunt ¹⁷⁾). Anglus autem peracto triumpho proceres
Germaniae inferioris Vilvordenam convocavit atque com-
municato cum illis consilio, obsidionem urbis Torna-
censis, quod valentissimum Franciae propugnaculum erat,
decrevit ¹⁸⁾). Verum cum Philippus incredibili virtute ur-
bein, quam fortissimum praefidium defensabat, cum manu
exquisita subfido advenisset & oppugnatores ad summum
discrimen perduxisset, Johanna Francica, Valefii foror, Wil-
helmi III. Hanonienis vidua atque Eduardi regis socrus,
apud fratrem generumque eo studio atque successu de
componendis armis laboravit, ut in confessu Esplechinensi
induciae in novem menses pactae sint, ad biennium dein
ceps prorogatae ¹⁹⁾). His ita peractis, Eduardus socias co-
pias dimisit atque in Angliam reversus est, nullam dehinc

¹⁵⁾ FROISSART l. c. chap. 45.

¹⁶⁾ Idem l. c. chap. 49. & CONT. GUIL. DE NANGIS ad a. 1340.
ap. D'ACHERY in *Spicil. vet. Script.* T. III.

¹⁷⁾ FROISSART l. c. chap. 51. CONT. NANGIS ad a. 1340. RYMER
l. c. p. 79. 80. VILLANI l. c. L. XI. c 109.

¹⁸⁾ FROISSART chap. 53.

¹⁹⁾ FROISSART l. c. chap. 64. CONT. NANGIS l. c. RAYNALDUS
l. c. ad a. 1340. n. 32. VILLANI l. c. L. XI. cap. 108 - III. RY-
MER l. c. p. 83. & 84.

Cermaniae inferioris curam habiturns. Alia quidem tradit celeberrimus HAEBERLINUS²⁰⁾, cui vīsus est Anglus per Litteras ad diem 30. Maji a. 1341. datas civibus Aquensisbus id juris impertivisse, ne unquam civitas eorum ab Imperio alienaretur, sed in perpetuum sibi & successoribus nobilissima regni Camera conservaretur. At vero, si tabulas privilegii per RYMERUM²¹⁾ evulgatas attentius inspexeris, facile deprehendes, minime gentium eas ad Aquensem Lotharingiae inferioris civitatem, quam Aquisgranum nuncupare solent, pertinere, sed Aquis Tarbellanicis, quae civitas est Vasconiae, incolis Acq̄s dicta, concessas esse.

§. XVI.

Vicariatus Eduardini Extinctio.

Induciae Esplechinenses Vicariatus Eduardo commiss ruinam, quae animis jam refrigeratis dudum impendebat, plane procuraverunt. Jam primum ubi Caesar Eduardo Imperii habent, suo nomine in Germania tractandas, commiserat, Benedictus XII. P. M., qui bellum inter Anglum ac Valesium praevertere omni nīsu studebat, Eduardo indignabundus exprobravit, quod Ludovico, publice & notorie de pravitatibus haereseos condemnato, auxilium & favorem praestaret, atque poenas gravissimas minatus est, nisi à contrahendo cum Ludovico foedere desisterit: nullum esse vanumque Vicariatum Imperii à Bāvaro, qui neque Rex, neque Imperator esset, constitutum, cum Regimen & administratio Imperii, vacante jam folio Caesareo, plenissimo jure ad sedem Romanam spectaret; neque decere Regem potentissimum procurationem provinciae suscipere alias nomine gerendam, neque illum diris el-

20) In dem vollständigen und pragmatischen Auszuge der allgemeinen Weltgeschichte, T. III. p. 347.

21) l. c. p. 101.

psurum, quas Johannes XXII. imprecatus sit omnibus, qui partes Ludovici sequerentur¹⁾). Haec eadem Anglo a. 1339. per Johannem Cantuariensem Archiepiscopum & Richardum Dunlmensem Praefulem objici curavit: atque Cardinalibus nunciis suis, qui apud ipsum morabantur, mandavit, ut Eduardum sententia exsecrationis, jam pridem in fautores Bavari lata, ferirent, nisi Bavarico foederi renunciaret²⁾). Eodem animo ad Cameracensem atque Leodiensem Episcopos anno superiore dehortatorias litteras exaraverat, quibus eos ab agnoscendo Vicariatu Eduardino avocabat, ac Legatis Cardinalibus provinciam dederat, ut "vetarent clientes Imperii Eduardo vel Ludovico jura imperialia accepta solemini sponsione referre³⁾); quin & Ludovico per emissarium nuncium, Arnoldum e Verdala, spem fecerat, se pacem ecclesiasticam illi redditurum esse, si foedere Anglicano abstinuerit⁴⁾). Veri quam maxime simile est, Caefareni, spe falsa de conciliando sibi Apostolicae sedis favore à Valefio ipso productum, negligenter fidem coluisse, quam Eduardo obstrinxerat⁵⁾. Postquam autem Anglus pactionem induciarum confecisset, Johanna Francica, quae primas in illa partes habuerat, animum eo induxit, ut jam amicitiam inter fratrem generumque instauraret. Adhibuit foemina callidissimi ingenii operam Margaretha, filiae Augustae; quae à Philippo blandi-

1) RYMER I. c. p. 37. & sq. Litteras Idibus Novembr. a. 1338. p. 53. & sq. Idibus Octobris a. 1339. & RAYNALDUS I. c. ad ann. 1340. n. 4. Litteras III Non. Martii ejusdem anni exaratas exhibent.

2) RAYNALDUS I. c. ad a. 1339. n. 13.

3) HOCSEMIUS I. c. p. 449. & 450. & RAYNALDUS I. c. ad ann. 1338. n. 69.

4) RAYNALDUS I. c. ad a. 1338. n. 16. 1339. n. 6.

5) ALBERTUS ARG. I. c. p. 128. MUTIUS I. c. p. 878. JOHANNES VITODURANUS ap. ECCARDUM T. I. col. 1858.

blandimentis suavissimis, Dominaeque Alemanniae salutatione in suas partes vocata ⁶⁾, maritum, apud quem maxima pollebat auctoritate, fiducia instantis resecrationis, quae Caefaris votorum sumnum erat, adduxit, ut societatem belli cum Anglo initam resloveret foedusque arctissimum cum Philippo rege contraheret ⁷⁾. Quo facto commissum Eduardo Vicariatum Francofurti in consensu Principum abrogat ⁸⁾, ipsique & antiquationem muneric & instauratam cum Gallo benevolentiam nunciat; jure se salvoque honore haec omnia egisse causatus, quod Anglus se insulato inducias cum Valeſio pepigerit atque terminos ad tractandum de concordia acceperit: caeterum ipsi suam opem ad reparandam amicitiam cum Philippo Rege comiter offerit ⁹⁾. Quamvis haec omnia Anglo quam maxime aversa evenirent, indignationem tamen sermonibus texit ac Caeſari rescripsit: "fe zelum quidem ipsius ad faciendam con-
cordiam plurimum commendatum habere, sed quamvis
admodum acceptum fibi fuisse optatam pacem tanti me-
diatoris instantiae debere, nolle se jus suum in Franciam,
quod fatis clarum sciret, arbitrio dubio committere;
neque se mirari sufficeret, quod Caefar, postquam se de-
dilectionis exuberantia in specialem adoptionis filium ad-
misserit, jam contra se cum Philippo injuratori suo nota-
rio ligam fecerit. Negabat dein fibi impingi posse culpam
paatarum incio Augusto induciarum, quod se oportue-
rit eorum sequi confilia, qui sibi auxilia & comitivam
fecerant; addebat Augustum sibi concessisse, quod, si
opportunitas arrideret, tractare posset de pace ipso in-
consulto, modo pacem finalem sine consensu Augusta-

6) ALBERTUS ARG. I. c. JACOBUS MOGUNTIN. ap. MUTIUM I. c.

7) LEIBNIT. in Cod. Jur. Gent. Dipl. T. I. p. 153.

8) ALBERTUS ARG. I. c.

9) RYMER I. c. p. 104.

„I nullatenus faceret, quam quidem facere se nunquam
 „proposuisse. Caeterum sibi videri, quod revocatio Vica-
 „riatus prae mature facta sit, cum juxta sponzionem super
 „hoc per Imperiales sibi factam, istud muneris non de-
 „buerit sibi adimi, priusquam ipse Regnum Franciae vel
 „majorem ejus partem adeptus fuerit“¹⁰). Verum enim
 vero nihilominus perficit foedus Caesaris cum Valefio,
 neque Vicariatus Imperii Eduardo commissus ulterius me-
 moratur. Hinc est, quod Principes Hanonienes, qui
 ex praescripto Caesaris, quamdiu Vicariatus auctoritas
 vigeret, nunquam non terras Cameracenses infestabant,
 bello jam composito, Vicariatu abdicato, cum Guilielmo
 Cameracensi Episcopo compositionem inirent, cuius le-
 ges Summus Pontifex dixit¹¹).

§. XVII.

Vicariatus Eduardini Fines.

Ambitum finesque Vicariatus Eduardini determina-
 turum destituunt monumenta, ex quibus certam eorum
 notionem haurire possem. Perierunt aut alta nocte etiam
 num pressae latent Litterae Augustales, quae, hoc munus
 instituentes, omnino terminos ipsi praefixos designasse vi-
 dentur. Jacturam hanc aliquo modo reparant Litterae dueae
 Eduardi III. ex Scriniis Bruxellensibus jam primum pro-
 tractae¹²). Utitur in utrisque Anglus elogio *Vicarii gene-*

¹⁰) Idem l. c. p. 105.

¹¹) Litteræ BENEDICTI XII. in *Cod. Probat.* N. III.

¹²) Debo illas, ut & *Excerpta Dinteriana*, singulari benevolentiae
 Illustrissimi atque Excellentissimi Comitis DE NENY, Caefareæ ac
 Regiae Hungaricae Majestatis à Consiliis Intimis atque Praefidis Con-
 filii Secretioris apud Belgas, atque Generosissimo Comiti DE WY-
 NANTS, Supremo Tabularii Brabantini Praefecto, quorum rarissi-
 mum prorsus favorem publice heic venerari licet. Excita-
 vit quidem illum Vir Musarum mearum studiosissimus, qui

* 51 *

ralis Sacri Romani Imperii per totam Alemannię & Germaniam ac universas & singulas earum provincias five partes; hinc dubium vix est, quin Ludovicus Augustus in Tabulis Augustalibus Eduardum hoc eodem titulo decoraverit. Cum autem leges ac consuetudines Imperii praesentis vigentisque Imperatoris Vicarium abhorreant, nec Ludovicus, cum Anglo vices suas demandaret, proficationem ultra Germaniae fines meditatus sit, neque Caesari fas fuerit Imperii habenas extraneo Regi committere, satis in aprico est, splendidissimae inscriptioni plus ambitionis, quam veritatis inesse. Ne tamen Eduardus inani titulo superbivisse videatur, dicendum erit, Caesarim, cum bellum Imperii causa, suis utique auspiciis, sed Anglo Duce, Valeſio illaturus esset, ipsi auctoritatem Caelareae fūpparem commisſe, ut copiis Procerum, ex univerſa Germania collectis, cum imperio praeceſſe potuerit. Cum vero arma potissimum e Belgio in Franciam moveri deberent, satis conſtat, hanc praecepue provinciam regionesque omnes, quae sub nomine Germaniae inferiores veniebant, praefecturae Eduardinae obnoxias fuiffe. Hinc est, quod Proceres altæ Alemanniae in Comitiis Confluentinis ²⁾ statuerunt: se in illos gravius animadversuros esse, qui obsequium Anglo denegaverint; manifesto indicio, quod ipsis nullum prorsus erga Eduardum officium incumbebat. Huc referas quoque, quae habet WALSINGHAM: nempe Eduardum Vicarium Ludovici Bavari constitutum esse de toto Imperio citra Coloniam & omnibus Imperi-

& Litteras ex Insulano Archivo à Regio ejusdem Tabularii Praefecto, praeconio humanitatis, qua juvenis votum exſolvit, non fraudando, Conf. Viro GODEFROY transmissas accerſivit; & insigni benevolentiae studio affecto desiderandum nihil reliquit, niſi gratae menti invitum silentium impofuerit.

2) KNYGHTON l. c. col. 2572.

G 2

rium suum tangentibus³⁾: Egregie cum his indicis conspirant acta Comitiorum Mechliniensium, ad quae Eduardus proceres Lotharingiae inferioris potissimum invitavit. Nomina eorum exhibit litterae provocatoriae in his ipsis Comitiis ad Philippum mittendae conceptae, licet nonnulla in illis apparent, quae ex foedere magis, quam ex obsequio adjecta videantur. Ex FROISSARTO ea heic annotare juvat: "Le Duc de Guerles, le Marquis de Ju-
liers, Messire Robert d'Artois, Messire Jehan de Hay-
naut, le Marquis de Musse, le Marquis de Blanque-
bourg, le Sire de Fauquemont, Messire Arnoul de Bac-
queghen, l'Archevesque de Coulongne, Messire Galetas
son frere"⁴⁾. His omnino addendi sunt Brabantiae Dux,
qui Comitiis Mechliniensibus ipse non interfuit; Conies Hollandiae ac Hanoniae, qui tempore ad deliberandum petitio, decreta eorum non subscrispsit; Leodienis ac Cameracensis Episcopi, mandatis Pontificis Maximi ab ob-
sequientia Eduardo debita aversi. Denique Hollandiae ci-
vitates trans Rhenum sitas officio erga Eduardum non va-
cavisse, demonstrant Litterae Augustales ad Harlemenies
datae⁵⁾.

§. XVIII.

Jura Vicariatui Eduardino attributa.

Cum perierint Tabulae Augustales, quibus Ludovicus jura Eduardo III. vicario nomine commendata definit, aliunde petendae sunt rei gravissimi argumenti no-
tiones. Suppedant eas 1°. exempla aliorum Vicariatum generalium; 2°. Indicia quamvis leviuscula, quae auctores ejus aevi nobis asservarunt; 3°. ipsa Eduardi III. Vicarii generalis acta.

3) WALSHAM in *Topidigm. Neustriæ ad a. 1338.*

4) FROISSART I. c. chap. 36.

5) JOHANNES A BEKA I. c. p. 115.

Parum tamen rem ex tabulis Augustalibus, in Italia Vicariis impertitis, explicaveris, cum diversissimae utique fuerint formulae regnorum Germanici atque Italici; nec easdem leges genti dominatrici, quas servienti, praescriuntas fuisse facile credideris. Consuli itaque heic nequeunt Litterae Rudolphi I., Rom. Regis, quibus Johannem de Ayennis S. R. Imperii Vicarium Generalem in Tuscia constituit ¹⁾; nec Ludovicianae Castruccio de Antelminellis ratione Vicariatus Lucensis concessae ²⁾. Magis huc faciunt Aureae Bullae Cap. V., ubi jura & praerogativae ordinariae S. R. Imperii Vicariorum sigillatum exponuntur, atque Tabulae Ruperti, Rom. Regis, filio Ludovico Vicariatum Generalem per Germaniam, Galliam & Regnum Arelatense conferentis ³⁾, quae omnia & singula jura, vice Caesaris in Germania exercenda, ordine enumerant. Verum enimvero cum Imperatores privilegia Vicariatum a se concessorum pro lubitu restrinxerint vel ampliarint, minime gentium arbitrere velim, Rupertinas tabulas ad exemplum Ludovicianarum conscriptas esse & Eduardo easdem praerogativas, quas Rupertus postmodum filio concessit, competiisse.

Historicos si adeam, qui de collato Regi Angliae Vicariatu Germaniae verba fecerunt, ex WALSINGHAMO compertum habeo, ipsum Vicarium *de omnibus Imperium tangentibus* ⁴⁾ constitutum esse. Sed FROISSARTUS indefinitam, qualem Scriptor Anglus descripsit, Eduardi potestatem, iustis terminis circumscriptam esse nos docet, ac iura ipsius eo potissimum rediisse refert, quod Jurisdictionem supremam nomine Caesareo exercendi, rem bellicam

1) MARTENE in *Thes. Anecd.* T. I. p. 1192.

2) LEIBNIT. in *Cod. Jur. gent. dipl.* T. I. p. 126.

3) Idem l. c. T. I. p. 263.

4) WALSINGHAM l. c.

adversus Valesium administrandi atque monetam feriundi potestatem habuerit⁵⁾.

Supereft, ut ex ipsis Eduardi actis Vicariatum Imperii concernentibus, eliciam, quid peragendi jus fasque ipsi fuerit.

I. *Jus Proceres Vasallos Sacramento in suam clientelam adigendi.* Haec praerogativa titulo communis ad omnes omnino S. R. Imp. Vicarios spectavit ac omnibus Tabulis Augustalibus Vicariatus constituentibus inserta legitur. Jure vero hoc Eduardum usum esse, historici omnes, qui res ab eo in Belgio geltas exposuerunt, tradidere⁶⁾.

II. *Jus Comitia Procerum indicendi* ab Eduardo exercitum esse, fidem faciunt Comitia, Harkae, Mechliniae, Vilvordeneae celebrata.

III. *Jus Statuta condendi* Eduardus sibi arrogavit in litteris ad Johannem Brabantiae Ducem datis, quibus ipsum ad confessum Harkanum invitabat.

IV. *Jurisdictio Suprema in Proceres Vasallosque Imperii;* quod Eduardus hanc praerogativam omnibus Vicariis Augustalibus concessam exercuerit, probant Litterae modo citatae, dies Episcopo Leodienfi dictus, nec non Episcopus Cameracensis ad Valentianas in jus vocatus. Consentit quoque FROISSARTUS⁷⁾.

V. *Jus armorum reique bellicae administrandae* universa Eduardini Vicariatus historia pandit. Testantur litterae secundae ad Johannem Brabantinum datae, pacta cum Wilhelmo Hanoniensi inita, acta Comitiorum Mechliniensium & Vilvordeneris. Accedunt FROISSARTI & DINTERI testimonia.

5) FROISSART l. c. chap. 35.

6) Idem l. in n. 1. §. XIV. recitato.

7) l. c.

VI. *Jus foederum pangendorum* pacta cum Wilhelmo Hanoniensi inita produnt.

VII. *Jus inducias concludendi atque de pace tractandi* ipse fibi Eduardus vindicavit in Litteris, quae Ludovico Augusto, Vicariatum renuncianti, rescripsit.

VIII. *Jus privilegia concedendi* Eduardo tribuit RAPIN THOYRAS⁸⁾; in eo egregie lapsus, quod ipsum Geldriae Comitem in Ducem exevisse perhibeat, cum inter omnes omnino constet Caesarem Ludovicum hanc dignitatem Raynaldo affini concessisse.

IX. *Jus ea, quae ad pompam aulae Caesareae spectabant, sibi assumendi.* Huc spectat, quod Lovanii in Palatio, solius Imperatoris & Brabantiae Ducis habitatione, comoratus fit⁹⁾, ac cum Mechliniae degeret, in Curia sedem nactus, solenni civium sagittariorum praesidio tutatus fuerit¹⁰⁾.

§. XIX.

X. *Jus monetarii custodiendi.*

Ultimo denique loco Jus Auri, Argenti, Aeris nomine Imperii flandi, feriundi Eduardo Vicario FROISSARTUS & alii tribunt. At agerem omnino, quod olim

8) *Hist. d'Angleterre* L. X. ad a. 1339.

9) Extractum ex Mspt. Lovani exstante, au Bureau des Pensionnaires & titulo insignito: *Antiqua charta ende onde structure binnen de Stadt van Loven.* fol. 3. haec leguntur: „Con Eduwart van Engelandt compt tot Loven op de Borch wonen. a. 1338.”

10) Extractum Mspti Computi Civitatis Mechliniensis de a. 1338. & 1339. In titulo: *van menigherhanden Dingen extant:* „Den Schuttern” (societas haec Sagittariorum est hucusque Mechliniae insignis) „dat men hem gef van presente omme dat si de Stadt bewaarden, alsoer den Conine van Ingelandt, de Conninginne ende andre Herren te Mechlen laegen in den Parlament.”

jam actum est, si huic loci probatum ire, monetam Caesaream, die Kaiser-Münze, per omnem, quam late patet, Germaniam etiam tum vulgati commercii fuisse, postquam jus numos cudendi Principibus jam pridem impertivissent Imperatores. Et hoc sane praecipuum ejus erat, quod usus ipsius ubique ex Lege obvius fuerit, cum moneta Procerum (regionariam, Landmünze, eam nuncupare fas sit) ultra limites regionis, quae cuilibet eorum parebat, non acciperetur. Suo itaque jure usus est Ludovicus Imperator, dum Eduardo facultatem concedebat monetam apud Belgas pro Caesare excudendi; nec ullus dubito, quin Anglus eam satis ambitione exercuerit. BUTKENUS sane perhibet, ipsum numos sua Caesarisque imagine conjunctim signavisse¹⁾; verum non ea est Tropaeographi Brabantini auctoritas, ut quae absque teste idoneo memoraverit, magnam fidem mereantur. Magis mihi arridet, quod Vir de Germaniae & Juris publici historia optime meritus Illustris PFEFFELIUS nuper conjectura prospexit; nimirum celeberrimum apud Germanos Denarium aureum Ludovici V. Imperatoris, cui Aquila biceps insculpta est, huc esse referendum, utpote ab Eduardo Caesareo procuratore apud Belgas cusum²⁾. Operae pretium erit suspicionem hanc rationibus firmare, quae illi favere videntur. Aureus iste, cuius Ecypyon aeri incisum in fine exhibeo, in antica sua parte Ludovicum Imperatorem fistit, paludatum, folio coementitii operis infidentem; dextra tenet ensim erectum, innixus laeva scutulo, aquila bicipite insignito; cum Epigraphe: LUDOVICUS DEI GRA. ROMANORUM IMP. Pars politica in quadriginciso

¹⁾ BUTKEN S. l. c. p. 425.

²⁾ Abrégé chronologique de l'Histoire d'Allemagne T. I. p. 509. edit. noviss. in 4to.

dricircino varie decorato crucem exhibet, cuius cuspides
in rosas desinunt trifoliis distinctas adscriptaque sunt verba
XPC. VINCIT. XPC. REGNAT. XPC. IMPERAT.

Singularem hunc prorsus denarium, in Numophylacio Kniphisiano deprehensem, primus omnium evulgavit LUDEWIGIUS, Antecessor Halensis, eumque, dubitare nescius, aureum coronatorium Ludovici Caesaris declaravit ³⁾. Hanc conjecturam certatim confutaverunt viri eruditio- omnes, quotquot eorum monetam istam explican- dam sibi sumserunt. Agmen dicit illustris KOEHLERUS, qui peculiari dissertatione demonstrare conatus est, aureum Ludovicianum a 1346. cufum fuisse in memoriam collatorum Margaretha Augustae Comitatum Hollandiae atque Hanoniae ⁴⁾. Adstipulabunt viro egregiae eruditio- nis, celeber. JOACHIMUS Historicus Halensis atque clar. PLATO, reipublicae Ratisbonensis Syndicus. Ille pedibus in sententiam KOEHLERI transiens ⁵⁾, hic in eo tantum ab ipso diversus, quod negaret Aquilam bicipitem, Imperii Romano-Germanici deigma, scutulo Caesareo in- sculptam esse, sed nescio quid monstelli, ex aquila Hanonica atque Leone Hollandico per insitionem procreati, in illo apparere contenderet ⁶⁾. In alia omnia abivit celeber- rimus WIDEBURGIUS. Is enim compertum habens numum rarissimae ^{notae rem maximi momenti testificari, suspicatus} est, Ludovicum Imp. eum a 1338. cudendum curavisse, ut monumentum ederet vindicatae in Comitiis Francofurta- nis Imperii maiestatis ⁷⁾. WIDEBURGIUM, quamvis insaluta-

3) Reliq. Mscr. T. VIII. n. 8. & in dedicatione.

4) Münzbewilligungen, T. III. p. 209.

5) Groschen-Cabinet, p. 91.

6) Muthmasung, warum der auf K. Ludwigs IV. goldener Münze vor kommende doppelte Adler, der Reichs-Adler nicht seyn könne, Ratisb. 1762. in 4to.

7) Vermischte Anmerkungen, N. VI. p. 143.

tum, sequutus est OETTERUS, historiographus Brandenburghensis, sententiae illius ex ingenio multa affingens, quae dubitationem potius quam convictionem operantur⁸⁾.

Singulas has sententias sub censuram vocare consilii n*ei* non est; sufficiat meam exposuisse. Id vero in principio notandum denarium Franco-gallicum, qui in LE BLANC⁹⁾ & GLOSSARIO CANGIANQ¹⁰⁾ exstat ac Philippi Valesii Ludovici Imperatoris coetanei Galliae Regis nomina prae se fert, Ludoviciano meo incredibili similitudine conformem esse, unde certissimo arguento concludo, aut Ludovicum Imperatorem denarium Francicum, aut Regem Philippum denarium Augustalem exscripsisse. Verum enim vero non est, quod longiuscule in hoc bivio haereamus. Nempe si quae sunt indicia, ex quibus confici potest, uter aureorum geminorum primigenius censendus sit, ea omnia in Francicum conspirant. Jam primum omnium satis constat, notas omnes in utroque obvias, nunquam omnino à Germanis usurpatas, apud Gallos continui & antiquissimi usus fuisse. Nusquam Caesaris in solio sedentis imago aliter efficta cernitur, quam globum Imperiale laeva manu tenens, qui quidem jam ab Henrico II. temporibus characteristicum Augustorum timelium evasit; nusquam parvula signifera, nuspiam militare sagum, rarissimus ensis; nunquam in parte postica crux rofacea; nunquam Epigraphe illa Ludoviciani mei. At vero longe aliter res se habet in Gallia. Quisquis enim ectypa humorum inde à Carolidarum aevo ibi cusorum apud

8) Muthmaßung, warum der auf K. Ludwigs IV. goldener Münze vorkommende doppelte Adler, der Reichs-Adler seyn müsse, Ratisb. 1766. in 4.

9) Monnoie de France p. 242.

10) Postremae editionis T. IV. p. 912, n. 15.

LE BLANC oculo vel maxime fugitivo perspexerit, iubens suffragabitur illustri KOEHLERO typum aurei Ludoviciani mire Francicum declaranti. Scilicet ex eodem LE BLANC constat, à prima Capetiorum aetate solenne fuisse regibus nostris crucem signare in auro usuali, & hunc morem progressu temporis ita invaluisse, ut jam Seculo XIII. in Legibus monetalibus Ludovici IX. A. 1262. latis pars superior numerorum *Pars Crucis*, *le Côté de la Croix* dicta fuerit, dum pars inferior, quoniam in ea forma typarii, vulgo *Pila nominati*, frequentius mutaretur, *Pars Pilae*, *le Côté de la Pile*, die *Stempel-Seite*, appellaretur. Nec quemquam fugit, morem hunc anno demum 1726. antiquatum esse. Inscriptio vero partis cruciferae, quae Christum *vincentem*, *regnantem*, *imperantem* celebrat, à Carolidarum acvo perpetua religione servata, hodiendum quoque in aureis Francicis legi solet. Quod si partem averfam specltemus, occurrit nobis, ut caetera omittam, *scutulum liliatum*, quod quidem Philippus VI. primus omnium adhibuit, sed à quo nomen & series orta sunt celeberrimae apud Gallos monetae aureae, *Scuta*, *Escus d'or*, nuncupatae, cujusque memoriam unciales argentei, pariter *Ecu* dicti, hodieque fertant. Hisce criteriis quantumvis conspicuis accedit res maximi momenti, quae sola item omnem discerneret, nempe aureum Philippeum antiquiore fuisse Ludoviciano, sive hunc ex mente KOEHLERI a. 1346. cusum dixeris, sive cum WIDEBURGIO statuas eum a. 1338. feritum esse.

Testes argumenti praecipui invoco doctissimum LE BLANC¹¹⁾ atque celeberrimos Editores GLOSSARII CANGIANI¹²⁾. Utrique ex Regestis Edictorum regiorum,

¹¹⁾ l. c. p. 242.

¹²⁾ l. c. p. 915.

quae in Tabulariis Curiae monetariae atque Camerae Computerorum asservantur, eruerunt documenta, quibus confirmatur, denarios cum scuto, *les premiers Ecu d'or dits*, jam anno 1336. ex edicto 1. Februarii lato fabricatos esse, eandemque fabricationem a. 1337. per Edictum 24. Novembr. repetita vice imperatam.

Ex his omnibus, quae longius forte, quam par erat, prosequutus sum, certissime constat: quod aureus Philippi prototypon Ludoviciani fuerit, hicque ad similitudinem ejus signatus sit. Haec asscucus fiderent colligo, illustres Viros KOEHLERUM atque WIDEBURGIUM, aureum Imperatoris perperam inter numismata, *medailles*, *Denkmuñzen*, collocavisse, qui nihil aliud, quam moneta vulgaris, *monnoye*, *Geldmünze*, fuerit: adeoque ipsum neque ad Decretum Francofurtanum referri posse, neque ad investitaram Hanonicam pertinere. Quis enim facile crediderit, Ludovicum Augustum, ut monumentum assertae maiestatis Imperii exigere, typum denarii Francici exscriptissime, nempe eodem prorsus confilio, ac si Ludovicus XIV. memoriam quatuor Propositionum Cleri Gallicani posteritati commendatus, Piastrum Hispanicum recudi jussisset, aut Gustavus III. restitutam regni Suedici formulam per fabricationem aurei Cremnicensis celebrasset.

Corruunt itaque hoc uno ariete perculta Systemata quantumvis ingeniosa, quae Viri doctissimi circa numum Augustalem effinxerunt & rata omnino manet thesis mea: aureum Ludovicianum, vulgaris aurei Philippei apographum & ipsum monetam vulgati commercii reputandum esse. Sed jam de regione dicendum, cuius usui haec moneta inservire debuerit. Compencium hujus investigacionis nobis fecit Clemens VI. Pontifex Maximus Bulla a. 1346. data, in qua memorat, quod "quam plures in locis Franciae circumvicinis, quibus de jure aut con-

„suetudine fine privilegio jus competebat fabricandi monetam, signum proprium monetae regiae, monetae suae, quam fabricant, imprimere moliti sint, ejusdem quantitatis & rotunditatis & litterarum figurae, quam habet moneta regia, monetae suae, quam fabricant, quantum possunt similis speciem & formam insculperint, constituerint & imposuerint, ... adeo ut simplices & populares personae non habentes inter monetas tantae similitudinis peritiam discernendi, fallantur quotidie ea occasione in usu monetarum”¹³⁾.

At vero loca ista Franciae circumvicina praecipue in Belgio quaerenda esse, docet nos Edictum Johannis regis Galliarum a 1350. promulgatum, quo Rex gravissime incusat Comites Flandriae, Hanoniae, Namurci &c., quod monetam regiam in suis monetis deformaverint¹⁴⁾; docet denarius Ludovici II. Flandrensum Comitis, Ludoviciano ac Philippeo nostro simillimus¹⁵⁾; docet denique, ut alia exempla taceam, aureus Roberti Episcopi ac Comitis Cameracensis¹⁶⁾, cum denario Johannis Regis collatus¹⁷⁾.

Scilicet cum moneta Procerum Belgii regionaria extra fines ditionum eorum cursum non haberet, hi descripsere summa cum industria monetam Regiam Francorum, ut sic tandem sua, egregie sub auspiciis alieni simulacri larvata, in Franciam vicinam introduci ibidemque late distribui potuerit.

Haec omnia penitanti minimum mirum videbitur, Ludovicum Imperatorem monetam Caesaream in Belgio

13) D'ACHERY l. c. T. III. p. 730.

14) LAURIERE *Ordonnances des Roys de France* T. II. p. 390.

15) KOEHLER l. c.


16) Extat ap. CARPENTER. *Suppl. Gloss. Cang.* T. II. p. 1326, n. 3.

17) v. GLOSS. CANG. T. IV. p. 924, n. 2. tab.

atque pro Belgis Galliae vicinis fabricaturum, eum praecipue typum elegisse, cuius usus in isto terrarum angulo perquam maxime frequentabatur. Jam tandem per longos anfractus metam attingo, quam mihi, vix non alia tractando, proposueram. Cum Belgii Proceres numeros suos regionarios eo tantum fine ad similitudinem Francorum effinxerint, ut illi sub hac specie tutiores in Franciam immigrarent: apertum est; quod ipsi ea subinde monetarum genera sibi imitanda sumferint, quae quovis tempore in Francia usitata essent. Atque monui modo denarium Philippeum, quem prototypon Ludoviciani fuisse demonstravi, ex Edictis 1. Februarii 1336. & 24. Nov. a. 1337. latis, fabricatum esse: sed compertum quoque habeo, quod usus ejus per edictum, a. 1339. 15. Aprilis publicatum, in Francia reprobatus atque prohibitus sit¹⁸⁾: ita quidem ut cursus, quem vocant, denariorum *cum scuto, des premiers Eſcus d'or*, intra annos 1336. & 1339. restrictus fuerit. Habet ergo simul epocham certissimam cusi aurei nostri Caefarei; illam profecto ipsam, quam Vicarius Eduardi III. in Belgio illustravit. Rationes hafce egregie firmant momenta praecipua & ipsum consilium collati Anglo illius Vicariatus. Ludovicus Caefar vindicatum ibat jura Imperii in Cameracensem dictiōnem, quam Philippus Valesius sub suam potestatem redegerat. Luculentissimum dominationis Gallicae in ea stabilitae documentum erat usus monetarum Regiarum ubique supra monetam Episcopalem introductus. Quid igitur obstat, quin affirmem, Eduardum numeros hos Franciae usitales studiose descripsisse, ut sic monetam Caefaream, supremi Imperii tesseram, apud Ca-

18) LAURJERE l. c. T. II. p. 131. & sq. p. 148. & sq.

meracenses inveheret atque vulgaret. Imo quid vetat, quin fidentius afferam, Anglium non signa solum, sed omen quoque Aurei Philippei Ludovico Caesari sibique arrogasse. Scilicet notae omnes denarii Regii, tunc primum usurpatae, haud obscure significant, Philippum jura sua in Galliae regnum, cuius speciem scutum liliatum praebebat, gladio manuque defensurum esse. Haec omnia autem haud minus egregie convenient in Ludovicum Caesarem, qui & ipse jura Imperii, per aquilam bicipitem tunc primum designati, in Cameracensem provinciam ferro armisque persequebatur.



CODEX PROBATIONUM.

N. I.

Excerpta ex EDMUNDI DINTERI, Antonio Brabantiae Ducis
ab a. 1406. à litteris secretioribus, Chronicis Brabantiae
Micro. Libro Vto.

Cap. XXI. Qualiter Eduardus Rex Anglie propria in persona
se transtulit de Antwerpia versus Imperatorem Ludovicum
tunc temporis apud Confluenciam existentem qui eundem
Regem ibi instituit Vicarium Imperii Generalem.

Eduardus autem Rex Anglie, qui sperans regnum Francie ex
manibus Philippi de Valois, se pro Rege Francie tunc gerente,
acquirere & recuperare auxilio Ludovici Romanorum Impera-
toris & nonnullorum Principum & Magnatum Alamannie, qui
sibi ad hoc sumptibus ejusdem Regis opem & assistenciam promi-
serant, qua de causa idem Rex de regno suo Anglie ad has
partes Brabantie se duxerat transferendum; Et quia dictus Imper-
ator manu forti & armorum cōpia in auxilium dicti Regis
proficiēti distulit; Quapropter idem Rex personaliter se trans-
fūlit versus predictum Imperatorem apud Confluenciam tunc exi-
istentem, qui adventum ejusdem Regis percipiens, sibi magnifice
obviam procedens, ipsum honorifice, ut decuit, in dictum oppi-
dum introduxit. Qui quidem Imperator post diversas collatio-
nes inter ipsum & prefatum Regem habitas, convocatis ibi-
dem omnibus Principibus Electoribus & pluribus aliis suis &
Imperii Principibus, Ecclesiasticis & Secularibus, Anno domini
Millesimo trecentesimo trigesimo octavo mense Septembri,
Anno
Regni sui Vigesimo quarto, Imperii vero undecimo, Imperia-
liter in sua curia solemptni apud Confluenciam in solio Majestatis
Cesarie

65

Cesarie Imperialibus insulis insignitus, pro tribunali sedens
assistantibus sibi supradictis Principibus Electoribus & aliis suis
& Imperii Principibus, dempto Rege Boemie, cum multitudo
Baronum & Vasallorum Imperii, pro defensione, conserva
tione & recuperatione bonorum, honorum & jurium Imper
ii, quasdam sentencias & judicia ibidem, editio perpetuo
protulit, & aliquis seu aliqua per organum Archiepiscopi Tre
verensis proferri fecit, juris ordine ac stilo sue Imperialis curie
solempniter observatis, nec non de predictorum Principum &
Procerorum consilio & assensu, dempto Rege Boemie supradicto,
prelibatum Serenissimum Principem Dominum Eduwardum Regem
Anglie, Dominum Hibernie ac Ducem Aquitanie, Sacri Ro
mani Imperii per totam Alemanniam & Germaniam ac univer
sus & singulas earum provincias sive partes, Vicarium genera
lem statuendum duxit & ordinandum.

Cap. XXII. Citatur & monetur Jobannes Dux Brabancie
ad comparendum certis die & loco coram Imperatoris Vicario
predicō, auditurus recitationem & inscriptionem senten
ciarum, judiciorum & mandatorum à dicto
Imperatore ematatarum.

Preterea est sciendum, quod memoratus Eduardus Rex An
glei, tamquam Vicarius Imperii, sui vicariatus, primo verius
Cesarie celsitudinis auctoritate volens sentencias & judicia per
supradictum Dominum Imperatorem in predicta sua solempni cu
ria, ut premittitur, apud Confluenciam promulgata ad noti
ciam Principum & Baronum Imperii abinde absentium, insi
nuare, cum quibusdam aliis mandatis sibi ab eodem Imperatore
specialiter commissis, honorem & statum Sacri Romani Imperii
quoniamplurimum conceruentibus, per sui certi tenoris patentes
litteras datas apud Mechliniam 18. die Septembrie Anno regni
dicti Domini Imperatoris 24 Imperii vero sui II, illustri Jo
hanni Lotharingie, Brabantie & Lymburgie Duci, consanguineo

suo charissimo, auctoritate predicta, precepit & mandavit in fide, qua Sacro Imperio affectus tenebatur, firmiter injungendo, & nichilominus ipsum monendo, 1°. 2°. 3°. ac uno termino peremptorie pro omnibus, ac sub pena privationis jurium, honorum, privilegiorum, libertatum & feudorum, que à Sacro Romano Imperio dinoscerebatur obtinere, quatenus coram ipso die lune proxime post tunc instans festum Sancti Dyonisi apud Herck, sufficenter & tempestive compareret, recitationem & insinuationem predictorum sentenciarum & judiciorum ac aliorum suorum, ymmo verius Sanctorum Imperialium mandatorum auditurus, ulteriusque facturus & recepturus, quod juris fuerit & consonum rationi, cum intimatione: quod si non venerit, aut ea non curaverit adimplere, ut tenebatur, quod contra ipsum ad privationem predictorum procederet, prout de jure & consuetudine curie Imperialis, cui tunc in ipso vicariatu presidebat, fuerit procedendum: prout in supradictis litteris plenius continetur & habetur.

Item similis citatio sive monitio emanavit à predicto Regis Anglie & Vicario, contra Ducem Johannem memoriam, quod compareret coram ipso Mechlinie, die lune proxime ante festum omnium Sanctorum: cuius littere fuerunt date apud Dyest 12 die Octobris, Anno quo supra.

Cap. XXIII. *Dux Brabantie personaliter & peremptorie citatur, ut ad certos diem & locum, cum ea, qua potuerit, hominum armatorum multitudine, Vicarium Imperii accederet, secum Vicarii expensis ulterius profecturus &c.*

Deinde prelibatus dominus Rex & Vicarius, per alias suas certi tenoris litteras datas apud Antwerpiam die 20. Mensis Novembri anno regni dicti Domini Imperatoris 24, Imperii vero 11, significavit dicto Duci Johanni, quod cum memoratus Ludovicus Imperator nuper apud Confluentiam in solempni sua

curia pro tribunali sedens, deliberato plurium Principum Electorum & aliorum suorum & Imperii fidelium ibidem tunc existentium consilio & assensu, inter alia, editio perpetuo, statuit, & sanxivit, quod omnes cuiuscumque status, dignitatis aut conditionis existentes sui & ipsius Imperii ditioni subditi auctoritate Imperiali legitime premuniti, debeant sibi vel suo Vicario, pro defensione, conservatione & recuperatione bonorum, honorum & jurium Imperii, sub pena certi in dicto statuto conteutis, parere, & pro viribus opem ferre. Ipse igitur Dominus Vicarius attendens occupationes injuriosas & usurpationes ac detentions indebitus super locis, bonis & juribus ipsius Imperii tam in Flandria & Comitatu Cameracensi & in Burgundia, quam alibi, per Dominum Philippum de Valestro, qui se dicit Regem Francie, & alias multipliciter & notorie occupatas, & diu continuatas, in ipsis Imperii scandalum non modicum & gravamen, & proinde volens, prout tenebatur, circa recuperationem & reductionem dictorum locorum, bonorum & jurium efficaciter, favente domino, laborare, dispositio & constanter proposito firmavit, esse personaliter cum exercitu valido inter villas de Mometz & Bins in Hannonia, die Veneris tunc proxime ante festum beati Thome Apostoli, exinde directe contra dictos occupatores & detentores illicitos, potentissimo quo potuerit, progressurus. Quapropter prefatum Duxem Joachinem, ut fidelem, potentem & precipuum Imperii Principem, ex corde rogavit & premunivit, ipsi nichilominus in fide, qua Sacro Romano Imperio tenebatur, & sub penis in dicto statuto & aliis in jure contentis firmiter injungens, ac peremptorio ipsum citans, quatenus juxta nobilitatis sue decentiam & sue potentie qualitatem ad dictos diem & locum, cum ea, qua potuerit, hominum armatorum multitudine personaliter accederet, secum ulterius in manu forti pro recuperatione dictorum locorum, bonorum & jurium ejusdem Vicarii sumptibus profecturus, ejusque consilium & auxilium super hiis sibi fideli-
 ter impensurus, sciturus, quod si sic ad ipsum venire & sibi in

Hac parte subvenire non curaret, ut deberet, quod contra ipsum ad inflictionem penarum predicatorum, prout iustus foret, procedere curaret, prout in dictis litteris latius continetur.

Cap. XXIV. Expeditio Regis Anglie & Vicarii Imperii prorogatur usque ad estatem proxime sequentem; tunc Vicarius proficiuntur, quem Dux sequitur, ut immediate scribitur.

Et sciendum, quod propter hyemem dictus Rex & Vicarius prorogavit suam expeditionem usque ad estatem tunc proxime venturam, sub spe, quod Imperator Ludovicus propria in persona manu forti sibi assistere deberet; & quia Imperator non venit, ut sibi promiserat, licet ad hoc, nunc per Episcopos, nunc per Comites ex parte dicti Regis juxta conventionem confirmationis inter ipsos initie sufficienter fuerit requisitus, occasio nem allegans, quod stipendia sua non erant sibi ex parte dicti Regis integraliter persoluta, nichilominus mandaret suis Principibus & fidelibus nobilibus, nec non civitatibus & oppidis Imperii, ut dicto Regi suis sumptibus & expensis armipotenter assisterent ad recuperationem bonorum, honorum & iurium Imperii &c. Quo auditio, idem Rex dixit, (ut assertur), Deus omnipotens hoc facit pro meliori; quia si Imperator veniret in auxilium meum, ut promisit, & istam guerram necum assumeret, & Dei gratia victoria potiremur, illa utique sibi ascriberetur. Ipse etiam est majori excommunicationis sententia per sedem apostolicam innovatus, quare negotia mea, iusta de causa per me posita, pejus vadere possent. Rogo igitur Altissimum, quantum me meangue iustam causam in iure & iusticia cum incrementis prosperis & votivis propiciis dirigere & regere dignetur. Et paulo ipse Rex matris deliberatione & consilio cum supradicto Johanne Duce Brabancie, nec non aliis Principibus & Proceribus, quos ad suum consilium invitaverat, prius prehabitū scilicet Raynaldo Duce Geldrie, Marchionibus Bran-

deburgensibus, Domino Johanne de Hannonia, Domino de Bel-
lomonte, & Domino Ottone de Kuyck, ipse Anglie Rex &
Vicarius Imperii, circa festum nativitatis beate Marie, cum
valido exercitu ac cum Principibus, Comitibus & Proceribus
supra scriptis fuit secutus. Sed autem Dux limites Regni
Francorum voluit intrare, mansit aliquamdiu apud Hafpre
prope Cameracum, sua castra inibi metando, nolens ulterius
progredi, nisi prius cum consilio civitatis Cameracensis locutus
fuisse, qui ad petitionem Ducis, sub ejus salvo conductu, de
notabilioribus civibus ad ipsum destinarunt, quos tamquam
Princeps & Vasallus Imperii requisivit, quatenus semotis & ex-
clusis Francigenis, qui ipsam civitatem contra Imperium &
pro Rege Francie tenebant occupatam, se ad obedientiam Im-
peratoris Romanorum restituerent, ut deberent. Alioquin Impe-
rator & Rex Anglie Vicarius ipse & alii Principes Imperii ad
hec prouidenda studebant vias & remediis oportunitus. Qui qui-
dem cives aliqualem excusationem allegabant, quod non ipsi,
sed Episcopus Cameracensis eorum Dominus specialis, predidit
civitatem ipsis invitis in manibus Regis Francie tradidisset &c.
Et sic Dux veraciter sciens, predictam civitatem, que spectat
ad Imperium Romanum, per dictum Regem Francie & suos,
in prejudicium & vilipendium Imperii fore occupatam, illico
predictum Regem diffidavit, & ab Hafpre discedens cum suo
exercitu versus Vicarium proficisciens, secundum Franciam intra-
vit, quam per tres septimanas continuo pervagantes fines
Pyronenses, Sancti Quintini, Laudunenses, Remenses, & in re-
ditu Flamangeribus incedio, rapina, captivitatibus, homici-
dio & alia clade diversa vahaverunt; non pericuentes interim
de Rege Francorum, aut quoquam alio, qui ipsis in premisis
resistere curaret. Quare idem Vicarius cum suis propero asperi-
tatem hyemis nolens aliquam civitatem, oppidum aut castrum
obsidere, dispositus adversus Anwerpiam penes Reginam se
transferre. Est veram quoniam Regi Francie, qui per diuas leu-
tas, vel circa, ultra fortissimum passum, cum Rege Boemie,

Episcopo Leodiensi & aliis Principibus & gentibus armorum
 prope exercitum Vicarii tunc exsriterat, fuit significatum, quod
 utique Dux Brabantie, qui suo in exercitu potiorem poten-
 ciam habuit, repatriaverat: idem Rex ordinavit, quod Rex
 Boemie, Episcopus Leodiensis, cum nonnullis Proceribus ex
 Francia & Alemannia Vicarium in motu & recessu, ut op-
 nabantur, existentem debellarent; quod per unum Francigenum
 captivatum eidem Vicario innotuit, qui mox cum dicto Duce
 Brabantie & aliis Principibus consilio prehabito acies suas du-
 xit ordinandum, & dictum captivum de sua captivitate liberum
 & quitum reddens, dedit sibi bonum equum & magnam pecu-
 nie summam, sibi injungendo, quatenus incunctauerit se trans-
 ferret versus predictum Regem, sui ex parte sibi significando,
 qualiter ipse Vicarius eundem Regem in campis exspectaret, de-
 siderans ipsum videre & pro victoria fortunae vires secum ex-
 periiri. Qui quidem Francigena, dum obviaret in itinere su-
 pradiis Regi Boemie, Episcopo Leodiensi & aliis, & ipsis
 premissa per ordinem significaret, & signanter qualiter Dux
 Brabantie adhuc eundem Vicarium adseret, & aciem suam or-
 dinaret: illico retrocedentes hec omnia predictio Regi dixerunt:
 aduenit etiam unus exploratorum Regis, qui ipsos de predicti
 Ducis presencia etiam certificavit. Quare predicti Rex &
 Episcopus hec Regi exposuerunt studentes ipsum exhortari & ad
 hoc inducere, ut si talis aninus foret, quod propria in persona
 suos inimicos, qui sibi tot & tanta dampna intulerant, &
 ipsum tam prope in campis exspectarent, vellet debellare, quod
 salvo suo honore dimittere non posset, hac die sibi cum corpore
 & anima totisque viribus assistere parati erant. Quibus ipse
 Rex respondit: quod se neque suum regnum, quod plusquam per
 viginti annos pacifice possiderat, nollet una die ponere in casu
 & fortuna belli, cuius exitus sive finis dubius confidere consue-
 vit. Vicarius autem videns quod Rex Francie ipsum debellare
 recusaret, duxit se versus terras amicorum cum suis coadjuto-
 ribus transferendum; Vicarius Antwerpianum penes Regiam,

que ibidem peperit filium, nomine Leonellum, qui fuit Dux Clarensis, ut superius scriptum est. Reliqui vero Principes & Magnates ad lares suas proprias remearunt. Illud accidit Anno Domini MCCCXXXIX, circa festum beati Remigii in uno die Sabbati &c.

Cap. XXV. De Jacobo Artenvelde & de confederatione facta inter Regem Anglie & Terras Brabantie & Flandrie.

Hoc Anno MCCCXXXIX. supradicto, Rege Anglie, Imperii Vicario, in Antwerpia residente, insurrexit Communitas omnium oppidorum Flandrie contra Ludovicum Comitem Flandrie, ipsorum dominum naturalem, qui metu mortis se transtulit versus Regem Francie. Quare de communii consensu & concordia omnium Communitatuum Flandrie, quidam Burgensis Gandensis, nomine Jacobus de Artenvelde, fuit per ipsum eleitus & constitutus Capitanus generalis totius Flandrie Comitatus, qui sua industria & nequicia tantum fecit & procuravit, quod Eduardus Rex Anglie Imperii Vicarius, Johannes Dux cum tota sua terra Brabantie, dictus Jacobus de Artenvelde Capitanus Generalis cum tota Communitate & terra Flandrie, mutuo fedus pepigerunt &c. ad hujusmodi igitur confederacionem roborandam ac litteris & sigillis confirmandam, predictus Rex & Vicarius, una cum domina Regina, se transtulit de Antwerpia versus Gandavum, ubi fuit cum ea, qua decuit reverencia, receptus & intronizatus tamquam Rex Francie & Dominus ipsorum directus & supremus, faciens sibi fidelitatis, obedientie & subjectionis debita juramenta, quemadmodum Regibus Francie haecenius facere consueverunt. Ipse autem Rex in suo introitu insignitus fuit armis Francie Anglie quartilatis. Et ex tunc in antea assumpst sibi titulum scribendi in litteris suis: Eduardus Dei Gracia Rex Anglie & Francie &c. Ipse igitur Rex animo maturans disponendi de guerrarum negocio

per ipsum intercepto, dimissa Regina in Gaudavo, ubi peperit filium nomine Johannem, qui fuit Dux Lancastrie, versus Angliam se duxit transferendum: promittens in verbo Regio quod ante festum Beati Johannis Baptiste dum manu forti & exercitu bellico in Flandriam rediret. Mandans igitur Ducii Brabantie, Duci Gelrie, Marchioni Juliacensi, Hannonensis, Hollandie Comitibus & nonnullis aliis Imperii Principibus, quatenus circa idem tempus se prepararent cum eorum gentibus armorum atque communitatibus bonorum oppidorum ipsum accederent, dum per ipsum super hoc requisiti, secum contra hostes Imperii profecturi.

Cap. XXVI. De classe ducentarum navium per Regem Francorum destinatarum in Zven, quam Rex Anglie bello naval i vicit & vitoriose superavit.

Eduwardus vero exiens in Gaudavo, requisivit Duces Brabantie & Gelrie, Marchionem Juliacensem, Gulhelnum, Comitem Hannonie, Hollandie, quatenus circa nominata die, quam ipsis prefixit, cum majori, qua possent, potentia gentium armorum atque communitatium bonorum oppidorum, versus Franciam penes ipsum applicarent secum profecturi, atque civitatem Tornacensem obfessari. Eduwardus etiam habens adhuc penes se nonnullas litteras per Ludovicum Imperatorem nonnullis oppidis Brabantie & Hollandie directas dictis oppidis nunc primatus transmitit easdem.

Tenor vero dictarum litterarum de quibus hic fit mentio sequitur consequenter, & est talis.

Ludovicus Dei Gratia Romanorum Imperator, semper Augustus, prudentibus Viris, Magistris, Scabinis & Consulibus Harlemonensis oppidi, gratiam suam & omne bonum. Nostre Majestatis litteris spectabilem Hollandie Comitem Wilhelman requisiavimus eos effectu, & ad recuperandum Imperium seu Imperii

•ii jura, nobiscum aut cum Vicario nostro contra Philippum, qui se pro Rege Francie gerit, cum armatorum decenti potencia jam finaliter se disponat: unde vestram fidelitatem, nobis & Imperio debitam, sinceris affectibus nunc requirimus & horramur; quatenus cum armatis esse curetis jam muniti, quod vos cum dicto Wilhelmo sub exercitus sibi sodalicio videre valeamus; Scitari firmiter, quod vestram in premissis promotionem pro oculis habere volumus pro termino nostre vite. Datum Frankevordie. Consimiles litteras direxit alius oppidis Hollandie, & eciam aliquibus oppidis Brabantie, mutatis mutandis &c.

N. II.

Extrait des Chartres de la Chambre des Comptes
du Roi à Lille.

Noverint universi, quibus presentes exhibite fuerint & quos nosse fuerit oportunitum, quod nos Ludovicus Dei Gracia Romanorum Imperator semper Augustus preclaro Eduardo, Anglie Regi illustri, tamquam nostro et Imperii Vicario, illustribus Joanni Duci Brabantie, Reynaldo Duci Gelrie, Wilhelmo Marchioni Juliacensi, spectabili Wilhelmo Comiti Hannonie, nec non ceteris aliis Principibus & Magnatibus nostris & Imperii fidelibus, jam dudum commisimus, injunximus & seriosius dedimus in mandatis ut.... Episcopum & Capitulum Majoris Ecclesie, nec non Consules.... Scabinos & Communitatem Civitatis Cameracensis in personis, rebus & juribus suis, quantum possent, gravarent, invadarent & occuparent velut nostros & Imperii adversarios, emulos & rebelles; si qua igitur prefati.... Rex.... Principes aliquique nostri & Imperii fideles, virtute dicti mandati nostri contra prescriptos.... Episcopum, Capitalum, Consules & Communitatem Civitatis Cameracensis egerunt, fecerunt, vel qualitercumque attemptarunt, rata habentes atque grata, ea omnia & singula auctoritate Imperiali

K

presentibus approbamus harum testimonio Litterarum: Datum
Laudshut xxx. die Januarii, anno Domini Millesimo CCCXL.
Regni nostri anno xxxvij. Imperii vero tertio decimo.

N. III.

Extrait du quatrième Cartulaire du Hainaut, reposant
en la Chambre des Comptes du Roi à Lille.

Benedictus Episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei
memoriam. Excelsi Patris & misericordiarum plenii, cuius locis est
factus in pace, vices licet immeriti gerentes in terris, & attenden-
tes, quod in tranquillitate fidelium vigor crescit fidei. & carita-
tis proficit latitudo, libenter inter omnes discordes pacis germina-
seminamus, sed ad reformatu[m] inter illas unitatis federa partes
apostolice sollicitudinis libentius adhibemus, ex quorum dissidio
presertim Ecclesiis & Ecclesiasticis personis graviora dispendia
& de ipsorum concordia noscuntur majora subsequi commoda
& certiora salutis compendia provenire; audiu[m] siquidem vene-
rabilis fratris nostri Guilhelmi Episcopi Cameracensis conquestione
percepimus: quod, licet Civitas & Comitatus Cameracensis jure
veri dominii ad Episcopum, qui est pro tempore, ac Ecclesiam
Cameracensem spectarent, et Episcopi Cameracenses, qui fue-
rant a longis retro temporibus & per tempora, quorum
contraria memoria non extabat, iusto & vero titulo Ci-
vitatem & Comitatum predictos possedissent pacifice & quiete;
quia tamen carissimus in Christo filius noster Edwardus,
Rex Anglie illustris, pretendens se Vicarium Imperii constitutum
per Ludovicum de Bavaria de heresi & scismate per sedem apo-
stolicam condemnatum, ac omni jure, si quod sibi in Regno vel
Imperio Romano ex electione, que olim de ipso habita in discor-
dia dicebatur, vel quovis modo forsitan competitisset, suis exi-
gentibus culpis & demeritis sententialiter & iuste privatum,
quamquam etiam vacante dicto Imperio tunc, sicut & nunc va-
care dinoſcitur, jurisdictione, regimen & dispositio ejusdem vacan-

tis Imperii pertinere ad Romanum Pontificem specialiter in-
noscantur, eundem Guillelmum Episcopum de facto, quanquam de
jure non posset, citari fecerat sub privationis & amissionis
omnium feudorum, privilegiorum, honorum & aliorum bonorum,
que ab Imperio ipso tenebat, ut coram eo certo tunc elapsō ter-
mino compareret; prefatus Guillelmus, qui eidem citationi non pa-
ruit, sicut nec parere etiam tenebatur, dubitans, ne idem Rex
ipsum reputaret de facto forsitan contumacem & contra ipsum
& Ecclesiam Cameracensem predictam de facto procederet, ad
apostolicam sedem super hoc duxit humiliter recurrentem, &
quamvis manifestum foret, quod dicta citatio & omnes processus
& sententie, quā contra dictos Episcopum & Ecclesiam per
ipsos Regem & Ludovicum aut ipsorum auctoritate occasione
hujusmodi facti forent vel fierent, de jure juribus non subsiste-
rent nec haberent aut habere possent aliquam robori firmatatem:
Nos, ne saltem de facto dicti Guillelmus & Ecclesia gravaren-
tur, volentes eorum dispendiis obviare dictam citationem,
omnesque processus & sententias per prefatos Edwardum Regem
& Ludovicum contra Episcopum & Ecclesiam Cameracenses
predictos forsitan post dictam citationem secutos vel secuturos, ac
ipsas penas in eadem citatione expressas & sententias quaslibet
super premissis vel eorum occasione prolatas, vel ex tunc in an-
te profерendas per ipsos Regem & Ludovicum aut alium vel
alios de mandato ipsorum super Civitatem & Comitatu predictis,
vel aliis bonis, feudiis, privilegiis & honoribus, que ipsi Episcopus
& Ecclesia tenebant ab eodem Imperio, habitos vel habitas, ha-
bendos vel habendas, ac latos vel latas, seu ferendos vel ferendas,
quatenus processissent de facto & procederent, auctoritate apo-
stolica revocavimus, cassavimus, annullavimus, vacuavimus et
irritavimus omnino ipsosque nullos, cassos, vacuos & irritos
nuntiavimus & nullam eos habere decrevimus firmatatem; di-
strictius injungentes ac etiam inhibentes universis & singulis Du-
cibus, Marchionibus, Comitibus, Baronibus, Nobilibus & aliis per-
sonis quibuscumque singularibus, nec non Communitatibus, Uni-

veritatibus quibuslibet civitatum, castrorum, villarum & aliorum locorum, ne contra revocationem, curationem, annulationem, irritationem & decretum nostra hujusmodi facere vel venire aut quicquam attemptare, vel Civitatem seu Comitatum predictos in totum vel in parte invadere vel occupare, aut invasos vel occupatos per se vel per alium presumenter detinere in prejudicium Guillelmi & Ecclesie predictorum, nec non dilectorum filiorum Prepositi, Decani & Capituli Ecclesie memorare; & nichilominus omnes & singulos, cujuscumque preminentie, dignaties, conditionis & status existerent, etiam si pontificali vel regali dignitate fulgerent, contrarium facere presumentes excommunicationis sententiam incurrire voluimus ipso facto, ac civitates, castra, villas & alia loca ipsorum interdicto ecclesiastico eo ipso decrevimus subjacere; venerabilibus fratribus nostris Leodiensi ac Trajectensi ac Tornacensi Episcopis dantes per nostras sub ea forma litteras in mandatis, ut ipsi & eorum singuli per se vel per alium seu alios in Ecclesias, civitatibus & dioecesibus eorumdem, ac locis aliis convicinis, de quibus eis videretur expediens, processum nostrum hujusmodi, convocata & presente multitudine copiosa fidelium, legi facerent, & solemniter publicari, ac universos & singulos, qui dicto processui efficaciter non parendo dictas excommunicationis in personas & interdicti in civitates, castra, villas, terras & loca ipsorum sententias promulgatas forsitan incurrisserint, excommunicatos, eorumque civitates castra, villas, terras & loca ecclesiastico interdicto suppositas in omnibus locis, in quibus expediens foret, pulsatis campanis & candelis accensis, tandem publicare curarent & facerent per alios publicari, ac ipsos excommunicatos ab omnibus artius evitari, donec super hius devote parerent & debite satisfacerent ac mererentur absolutionis beneficium obtinere: quem quidem processum presatus Episcopus Tornacensis in sua Ecclesia solemptiter publicasse ac universis & singulis Decimis Ecclesiarum, Civitatis & Dioecesis Cameracensis in solidum vices suas dicitur commisso, donec eas ad se duceret revocandas, subsequenter autem, sicut

accepimus, prefato Guillelmo Episcopo Cameracensi referente dilecto filio Decano Ecclesie Sancti Gangerici Cameracensis, quod dilecti filii nobiles viri Guillelmus, Comes Hannoviae, ac Johannes de Hannovia, Dominus de Bellimontis, patruus ejus & Magister Henricus de Geldonia, Canonicus Cameracensis, contra dictum nostrum processum fecerant, attemptarant & venerant multis modis, prefatus Decanus Sancti Gangerici ad relationem hujusmodi asserens sibi per facta notoriam evidentiam & informatiunem, quam se super hijs rite recepisse dicebat, de relatis dicti Guillelmi Episcopi plene constare, prefatos Comitem, Joannem & Heinricum ac complices & fautores ipsius Comitis declaravit, auctoritate commissionis ejusdem, excommunicationis sententiam per processum nostrum hujusmodi incurrisse ac terras & loca Comitus, Joannis & complicitum predictorum interdicto ecclesiastico subjacere, ipsoisque Comitem, Joannem & Heinricum complices & fautores mandavit & fecit propterea excommunicatos publice nunciari, ac terras & loca eorum esse supposita ecclesiastico interdicto: propter que prefatus Comes, ad apostolicam sedem accedens, nobis humiliter supplicavit; ut, cum ipse, qui etiam, in castris, terris, villis & locis suis, occasione Episcopi & Capituli predictorum, multa dampna, incendia & alia mala plurima se assertit perculisse, esset paratus parere super premissis contra eum assertis mandatis Ecclesie atque nostris, ipsum & Joannem patrum suum ac Heinricum fautores & complices suos predictos ab eadem sententia excommunicationis absolvere, nec non interdictum hujusmodi, propter premissa in suis & dicti Joannis patruis sui terris appositorum, relaxare de benignitate apostolica dignarentur. Verum dilecti filii Magister Matheus de Prato, Guillelmi Episcopi, & Johannes de Caedsant ac Raynerus de Urbeveteri, Canonicus Cameracensis Capituli, predictorum Procuratores in nostra presentia constituti, ex adverso proposuerunt, quod ipsi Comes ac Johannes & gentes eorum multa castra, vilas, terras & loca & alia bona immobilia ad ipsos Episcopum & Capitulum spectantia occuparant & occupata tenebant, & per-

ceperant ac percipiebant ex eis fructus, redditus & proventus,
 & quedam ex eis spoliabant & ignis incendio concremarant
 homines & vasculos dictae Ecclesie ac bona & animalia eorum
 dem ceperant & in predam abduxerant, ac ipsi Ecclesie publicam
 guerram moverant & fecerant & eundem Episcopum publice
 diffedarant & nonnullas preconizationes fieri fecerant contra
 jurisdictionem Episcopi & Capituli predictorum, ac ecclesiastici
 libertatem & nonnulla alia dampna & injurias, violen-
 tias & molestias eisdem Episcopo Ecclesie & Capitulo intulerant,
 tunc expressa, que notoria existerant, propter que asserabant pre-
 fatas excommunicationis & interdicti sententias non esse ante
 satisfactionem debitam relaxandas, & tandem postquam partes
 ipse super restituzione bonorum & rerum occupatorum ac emen-
 datione dampnorum illatorum hinc inde, quam petebant, inter se
 coram nobis aliqualiter altercarant: prefatus Comes, tanquam
 benedictionis alumnus, amplecti cupiens bonum pacis & volens
 devotionem sinceram ac reverentiam filialem, quam ad nos &
 sedem apostolicam gerere noscitur, non verbis, sed operibus com-
 probare, se, ac dilectus filius Magister Joannes de Fumone, scri-
 ptor noster, Procurator dicti Joannis, Domini Bellimontis, ad
 hec legitime constitutus, prefatum Dominum Bellimontis nec non
 dicti Procuratores Episcopi & Capituli Cameracensis pro ipsis
 Guillelmo Episcopo & Capitulo & nomine eorumdem super pre-
 missis omnibus & singulis ordinationi, voluntati & beneplacito
 nostris sponte & libere se totaliter summisserunt & tam Comes
 pro se, quam Johannes de Fumone dicti Domini Bellimontis &
 alii Procuratores prefati, nomine & in animas constituentium
 predictorum jurarunt ad Sancta Dei Evangelia corporaliter
 manu tacta, quod omnia & singula per nos super hiis ordinanda
 & mandanda tenebunt & complebunt efficaciter ac inviolabili-
 ter observabunt, ac promiserunt se facturos & curaturos, quod
 prefatus Episcopus & Capitulum & Dominus Bellimontis ea
 omnia & singula ratificabunt, approbabunt & etiam confirmabunt.
 Nos igitur considerantes, quod ex dissensione hujusmodi

animarum & corporum discrimina multa provenerant & pre-
 dictae Cameracensis Ecclesie non modica detimenta, quodque, si
 non sedaretur, celeriter formidabantur, ex ea provenire veris-
 milititer graviora & propter ea prefatae discordie somitem suc-
 cidere cupientes, summisiones hujusmodi pro bono pacis & con-
 cordie duximus acceptandas ac denum super premissis omnibus
 & singulis cum nomullis ex fratribus nostris Sancte Romane
 Ecclesie Cardinalibus pacem & bonum statum partis utriusque
 zelantibus diligenter tractatu & matura deliberatione prehabitis
 ad reformationem pacis & concordie inter dictas partes procedimus
 in hunc modum: In primis volumus & pro bono pacis & concordie
 auctoritate apostolica ordinamus, quod prefatus Comes reponat &
 reponi & reduci faciat realiter & cum effectu dictos Episcopum
 & Capitulum Cameracenses, vel eorum Procuratores pro ipsis, in
 omnibus & singulis castris, villis, terris, locis & bonis immobili-
 bus ac possessionibus, iuribus & jurisdictionibus ad ipsos spectantibus,
 & in Comitatu Hanonie, ac aliis terris & dominio Comitis
 & Johannis de Hanonia predictorum consipientibus, & ad pos-
 sessionem corporalem & pacificam eorundem; & quod idem Co-
 mes ex nunc Episcopo & Capitulo vel Procuratoribus eorum
 predictis concedat litteras suas patentes, per quas mandet ex-
 presso, quod dicti Episcopus & Capitulum Cameracenses ac gen-
 tes & officiales eorum recipiantur sine contradictione quacum-
 que ad omnia & singula bona & jura predicta in eisdem co-
 mitatu, terris & dominio constituta; & hec eadem de omnibus
 & singulis bonis immobilibus, possessionibus, iuribus & jurisdi-
 ctionibus ad prefatos Comitem & Johannem de Hanonia spe-
 ciantibus, in terris & locis, Episcopo & Capitulo Cameracensi
 predictis subjectis, consipientibus, per dictos Episcopum & Capitu-
 lum Cameracensem fieri volumus & mandamus: ita quod ultra-
 que pars bonis & iuribus suis hujusmodi libere gaudeat & ea
 teneat pacifice & quiete, sicut ante hujusmodi subortam discon-
 diam illis gaudebat ac ea tenebat & etiam possidebat. Insu-
 per volumus & auctoritate ordinamus eadem, quod dicti Comes

Et Johannes omnia et singula bona mobilia, fructus, redditus et
 proventus de mense Auguſti proximo preteriti ad predictos Epi-
 scopum, Capitulum, Capellanos et Clericos Cameracensis Ecclesie
 prefate ſpectantia, levata, reponita seu conservata nomine Comi-
 tis et Johannis predictorum seu eorum mandato per recepto-
 res ipsorum Comitis et Johannis, seu de mandato eorumdem pre-
 fatis Episcopo, Capitulo, Canonicis, Capellanis et Clericis refi-
 tuant cum effectu; et quod ipſi Episcopus et Capitulum eisdem
 Comiti et Johanni de Hannonia ſimili modo refituant bona
 mobilia, fructus, redditus et proventus de dicto mense Auguſti
 levata, reponita seu conservata de bonis dictorum Comitis, Jo-
 hannis ac familiarium ſuorum per ipſos Episcopum et Capitu-
 lum Cameracenses aut eorum nomine seu mandato; quodque pre-
 fatus Comes pro bonis mobilibus et fructibus, redditibus et
 proventibus levatis de terris et possessionibus Episcopi Camera-
 censis et Capituli predictorum ante hujusmodi presentem annum
 per ipsum Comitem, vel alium seu nomine ipſius, vel de ejus man-
 dato, a tempore mote guerre seu diſſentioñis hujusmodi iuſcita-
 te, Episcopo tria milia et Capitulo prelibatis octo milia libra-
 rum uſualis monete in Comitatu Cameracensi predicto nunc cur-
 rentis, in terminis infraſcriptis, videlicet in feſto omnium Sancto-
 rum proximo futuro duo milia librarum dicte monete et deinde ſin-
 gulis annis quadriennii proxime ſecuturi in eodem feſto totidem, et
 anno dictum quadriennium proximo ſubsequenti in feſto hujusmodi
 mille libras tunc reſiduas de quantitate predicta det et ſolvat rea-
 liter cum effectu; quounque de hujusmodi quantitatibus undecim
 milium librarum prefatis Episcopo Cameracensi et Capitulo per
 eundem Comitem integre fuerit ſatisfactum. Rurſus volumus
 et auctoritate predicta ordinamus, quod omnes diſſidationes, ad
 requiſitionem Episcopi et Capituli, aut Comitis et Johannis de
 Hannonia predictorum, aut per quoſcumque alios subditos ſuos
 vel eorum nomine utrinque facte, totaliter revocentur et ceſſent
 penitus hinc et inde, quodque dicti Episcopus et Comes faciant
 et procurent, alias diſſidationes in favorem cuiuslibet partium
 predi-

predictarum factas seu procuratas per alios, quam per ipsos
 Episcopum Comitem et Johannem de Hannonia vel eorum sub-
 diros, effeualiter revocari, et quia dictus Comes et nonnulli sub-
 diti et vassalli Comitis et Johannis de Hannonia predictorum,
 qui erant feudatarii dicti Episcopi Cameracensis et de homagio
 ac fidelitate sua, post motam guerram hujusmodi feuda, que ab
 Episcopo ipso tenebant, eidem Episcopo resignarunt et voluerint
 esse ab homagio et fidelitate hujusmodi absoluti, volumus et or-
 dinamus auctoritate prefata pro hono pacis; quod idem Episco-
 pus feuda hujusmodi dicto Comiti et aliis, qui ea sibi, ut premit-
 titur, resignarunt, libere restituat; et quod ipsi Comes et alii, qui
 bus hujusmodi feudorum restitutio fiet, prefatis Episcopo et Ec-
 clesi Cameracensibus faciant fidelitatem et homagium per ipsos
 seu predecessores eorum fieri consueta; et quod idem Comes om-
 nina precepta, preconizationes, mandata et alia impedimenta que-
 cumque contra jurisdictionem Ecclesiasticam vel temporalem ip-
 sorum Episcopi & Capituli per ipsum Comitem aut genitorem
 suum, dum vivebat, seu eorum officiales facta & apposita, in pre-
 judicium Episcopi & Capituli predictorum & ecclesiastice liber-
 tatis, ex nunc revocet & revocari faciat cum effectu; ac Episco-
 pun, Capitulum & Ecclesiam Cameracenses predictos jurisdi-
 ctione spirituali & temporali, in Comitatu & terris ipsius Comi-
 tis ipsis Episcopo vel Capitulo de jure vel consuetudine compe-
 tentie, permittat uti libere & gaudere. Volumus etiam & or-
 dinamus, quod prefati Episcopus & Capitulum Cameracenses
 in fortellicis & castris ad eos communiter vel divisiim spectanti-
 bus, per se vel alium seu alias pro posse, omni fraude cessante,
 gentes armatas, que venirent ad offendendum dictos Comitem &
 Comitatum suum, non receptent, quinimum eas impedian, ne in-
 trent aut intrare possent fortellicia & castra predita, & pro
 iuribus removeant illos, qui dicta fortellicia & castra nunc deti-
 nent occupata; quodque prefatus Comes simil modo in fortelliciis
 aut castris suis & dicti Johannis patrui sui per se vel alium non
 recipiat aliquas gentes armorum, que venirent ad offendendum

L

Episcopum & Capitulum prelibatos aut terras ipsorum, immo pro posse sine fraude impedit venientes. Preterea quia, sicut pro parte dictorum Episcopi & Capituli Cameracensis fuit propositum coram nobis, idem Comes quadam domo, sita in civitate Cameracensi, que domus justicie nuncupatur & quam prefatus pater dicti Comitis, dum viveret, a quodam armigero acquisivit debito modo non utitur, sed jura & usum ipsius ultra quam dicto armigero, a quo pater ipsius Comitis causam habuit, competenter & ea uteretur seu uti deberet, plurimum ampliavit in prejudicium Episcopi Capituli & Cameracensis Ecclesie predicatorum: volumus & auctoritate ordinamus eadem, quod idem Comes & successores ac heredes sui teneant & tenere debeant ac possidere dictam domum, & illa ac ejus juribus utantur, dumtaxat sicut ipsum dictus armiger, a quo, ut premittitur, idem pater dicti Comitis causam habuit, tenebat & utebatur, seu uti debebat eadem, & quia nostra intentionis existit, quod ad omnem dubietatem, que super hiis posset oriri, tollendam, super usu & juribus dicti domus, que ipse armiger ante translationem de ea in eundem patrem dicti Comitis factam competebant & competere poterant ac debebant, per certos commissarios deputandos a nobis plena informatio habeatur: volumus & ordinamus auctoritate predicta, quod idem Comes ex nunc promittat dictis Episcopo & Capitulo & eis suas patentes litteras tradat, quod ipse & successores ac heredes sui in ipsa domo, secundum quod per hujusmodi informationem habendam per ipsos Commissarios super hiis competenti fuerit, dumtaxat utantur & uti debeant in futurum domo & juribus antedictis & non aliter nec ultra. Volumus etiam & auctoritate ordinamus eadem, quod ipsi Episcopus Cameracensis & Capitulum premissa omnia & singula supradicta eorum nomine acta ratificare, confirmare & approbare, ac eas servare inviolabiliter promittere ac jurare Episcopus videlicet personaliter, Capitulum vero predicti per Procuratorem eorum legitimum ad hoc specialiter constitutum, infra festum purificationis beate Marie Virginis futurum proxime teneantur ac suas

super hiis patentibus litteras, omnes articulos pacis & concordie
 hujusmodi continentibus, prefato Comiti assignare; dictusque Comes
 etiam infra dictum festum purificationis teneatur similes litteras
 suas tradere Episcopo & Capitulo prelibatis. Porro cupientes,
 ut ordinationes nostrae hujusmodi plenum & debitum forsanter
 effectum & inviolabiliter obseruantur, volumus & auctoritate
 predicta ordinamus, quod inter Episcopum & Capitulum Camer-
 racenses predictos ac familiares & subditos eorum ex parte una,
 & ipsos Comitem & Joachinem de Hannonia, nec non eorum
 familiares & subditos ex altera, ex nunc in antea firma et vera
 pax ac plena concordia sint et esse debeant ac servari, quodque
 cives et incole dicte civitatis Cameracensis possint esse, si velint,
 in concordia et pace predictis, et quod deliberandi super hoc us-
 que ad festum resurrectionis Dominice proximo futurum liberam
 habeant potestatem, quodque ipsi, si deliberaverint esse velle in
 pace et concordia prelibatis, ex tunc post deliberationem hujus-
 modi omnia et singula, que per Episcopum Cameracensem et Ca-
 pitulum predictos promissa sunt seu propterea promittentur,
 promittere teneantur et super hujusmodi promissione suas auten-
 ticas litteras vel publicum instrumentum infra festum resurrec-
 tionis predictum eidem Comiti assignare; liceat tamen dictis civi-
 bus et incolis, sic in pace cum dicto Comite existentibus, gentes
 armorum ad eorum tuitionem recipere et non ad nocendum Co-
 miti memorato; ubi vero prefati cives et incole nollent in ipsa
 pace et concordia cum dicto Comite remanere ac litteras seu in-
 strumentum dare predicta, prefatus Comes coram nobis extitit
 protestatus, quod ipse contra existentes in civitate predicta, qui
 contra eum faverent civibus et incolis memoratis, aget et faciet
 tanquam contra inimicos ipsius. Ad hec volumus et auctoritate
 declaramus eadem de assensu Comitis et eorumdem Procuratorum
 Episcopi Cameracensis et Capituli predictorum, quod si dictus
 Episcopus pacem servet et teneat cum Comite prelibato et ipsi
 Capitulum pacem ipsam forsan non servarent, nec tenerent,
 vel e converso Capitulum predictum pacem servarent et tenerent

eandem et Episcopus predictus eam servare nolle nec tenere,
 parti pacem hujusmodi servant et servare volenti ex culpa par-
 tis alterius pacem ipsam non servant nec servare voluntis mul-
 lum debeat prejudicium generari. Ceterum, ut idem Comes erga
 nos et sedem eandem eo proruptior devotionis fervore impasse-
 rum habeatur, quod per nos specialiori gratia se noverit preve-
 niri, eum ac Johannem de Hanonia et Magistrum Henricum
 predictos, prestito prius per eosdem Comitem et Henricum ac
 Johannem de Fumone procuratorio nomine et in animam dicti
 Domini Bellimontis, prout ab eo specialiter in mandatis habebat,
 de parendo mandatis Ecclesie atque nostris ad Sancta Dei Evan-
 gelia corporaliter juramento, ab excommunicationis sententia,
 quam per processum nostrum hujusmodi incurserunt, auctoritate
 predicta absolvimus ac interdicta quelibet, quibus castra, ville,
 terre et alia loca Comitis et Johannis de Hanonia predicatorum
 propter premissa et eorum occasione subiacere noscuntur, aucto-
 ritate predicta relaxamus et totaliter amovemus, dictoque Co-
 miti tenore presentium injungimus pro penitentia salutari, ut
 ipse infra festum nativitatis Beati Joannis Baptiste proximo
 futurum duas capellas, unam videlicet in dicta Cameracensi et
 alteram in Monasterii de Cambrome, Cisteriensis ordinis, dictae
 Cameracensis dioecesis Ecclesie, suis sumptibus confrui faciat,
 quarum qualibet de viginti quinque libris parvorum Tironen-
 sium annui et perpetui redditus dotare, ipsasque munire et or-
 nare calicibus, crucibus, libris, paramentis et aliis ornamen-
 tis sufficientibus et opportunitis ad cultum divini nominis teneatur.
 Insuper humilitatem et reverentiam, quas idem Comes, velut fi-
 delis Sancte Matris Ecclesie filius, nobis et eidem exhibuit se-
 di, nec non labores et sumptus, quos in vertiendo personaliter
 ad nostram presentiam subiit, attendentes et properea di-
 gnum reputantes et congruum, ut cum ampliori gratia prose-
 quamur omnes injurias et offensas propter premissa et eorum
 occasione per Comitem, familiares et subditos suos nobis et eidem
 sedi, ut premittitur, irrogatas, more patris benivoli, qui filiorum

offensarum existit immemor prefatis Comiti, familiaribus et
subditis gratiose remittimus de consueta clementia dicta sedis:
volumus autem, quod si dictus Comes prefata tria milia Epi-
scopo et octo milia librarum Capitulo memoratis cum effectu
non solveret, in terminis antedictis, aut alias de illis non satis-
ficerit cum effectu, ipse Comes ac terre sue ipso facto in pri-
micias sententias relabuntur. Nulli ergo omnino hominum li-
ceat hanc paginam nostrarum voluntatum, ordinationum, man-
dati, intentionis, declarationis, absolutionis, relaxationis, amo-
tissimis, injunctionis et remissionis infringere vel ei ausu temera-
rio contraire. Si quis autem hec attemptare presumperit, in-
dignationem omnipotentis Dei et Beatorum Petri et Pauli A-
postolorum ejus se noverit incursum. Datum Avinioni V.
Idus Novembris Pontificatus nostri anno septimo.

N. IV.

Copie tirée d'après l'Original reposant dans les Char-
tres de Brabant.

Edwardus Dei Gratia Rex Anglie, Dominus Hibernie &
Dux Aquitannie ac Sacri Romani Imperii per totam Ale-
maniam & Germaniam ac universas & singulas earum pro-
vincias five partes Vicarius generalis, illustri Principi Jo-
hanni Lotharingie, Brabantie & Lemburgie Duci consan-
guineo suo carissimo salutem & omne bonum. Cum Sere-
nissimus Princeps Dominus Ludowicus divina favente cle-
mencia Romanorum Imperator semper Augustus, imperiali-
ter pro tribunali Imperii sedens in solemni sua curia . . .
. . . convocatis ibidem suis et Imperii Principibus pluribu-
Ecclesiasticis et secularibus et eidem assistentibus cum multitus
dine Baronum et Vassallorum ejus . . . fidelium . . .
. . . deliberacione diligentia causa . . . pro defensione,
conservacione ac recuperacione bonorum, honorum et ju-

L 3

rium Imperii quasdam sentencias et Judicia
 Edictio perpetuo contulerit et aliquas seu aliqua proferre . . .
 juris ordine ac filio sue Imperialis curie solemniter obser-
 vatis de ejus Principum ac Nos volentes . . .
 ad noticiam Principum et Baronum Imperii tunc abinde ab-
 fencium predictas sentencias et Judicia antedicta producere
 et ea insinuare . . . cum quibusdam aliis mandatis no-
 bis ab eadem specialiter commissis, honorem et statum Sacri
 Romani Imperii tangentibus, vobis sua autorita-
 tate predicta precipimus et mandamus in fide, qua Sacro
 Imperio astriccius tenemini, firmiter injungentes et nichil omi-
 nus vos momentes primo, secundo et tertio ac uno termino
 peremptorio pro omnibus ac sub pena privacionis jurium,
 honorum, privilegiorum, libertatum et feodorum, que a
 Sacro Romano Imperio dinoſuntur optinere, quatinus co-
 ram nobis die lune proximo post instans festum sancti Dio-
 niſi apud Herk ſufficienter et tempeſtive comparentes, recita-
 cionem ac insinuationem predictorum ſententiariarum et judi-
 ciorum ac aliorum noſtrorum, immo verius ſedis Imperia-
 lis mandatorum audituri, ulteriusque ſtaturi & recepturi,
 quod juris fuerit et conſonum cum incinuacione, quod fi-
 non veneritis, aut ea non curaveritis adimplere, ut tenemini, nos
 contra vos ad privacionem predictorum procedemus, prout de
 jure ac consuetudine curie Imperialis, cui nunc in ipſo vica-
 riato praefidemus, fuerit procedendum. Datum apud Mach-
 liniam XVIII. die Septembriſ, anno regni dicti Domini Im-
 peratoris vicejimo quarto, Imperii vero ſui undecimo.



Copie tirée d'après l'Original reposant dans les Chartres de Brabant.

Edwardus Dei gratia Rex Anglie, Dominus Hibernie et Dux Aquitannie ac Sacri Romani Imperii per totam Alemania et Germaniam ac universas et singulas eorum provincias sive partes Vicarius generalis, illustrissimi principi Johanni Brabantie, Lothuringie et Lemburgie Duci, consanguineo suo carissimo salutem et omne bonum. Quia Serenissimus Princeps Dominus Ludovicus Dei gratia Romanorum Imperator semper Augustus apud Conflueniam imperialiter nuper sedens, de liberato plurium Principum, Elektorum et aliorum suorum et Imperii fidelium ibidem tunc existencium consilio et assensu inter alia editio perpetuo statuit et sanxivit, quod omnes cuiuscumque dignitatis, status, aut conditionis existentes sui et ipsius Imperii dicioni subditi, auctoritate Imperiali legitime premoniti, debeant sibi vel suo Vicario pro defensione, conservacione et recuperacione honorum, honorum et Jurium Imperii sub penis dictis in dicto statuto contentis parere et pro viribus opem ferre. Nos attenden tes occupaciones injuriosas et usurpaciones ac detenciones indebitas super locis, bonis et juribus Imperii, tam in Flandria et Comitatu Cameracensi ac in Burgundia, quam alibi per Dominum Philippum de Palegio, qui se dicit Regem Francie, et alios multipliciter et notorie attemptatas et dudum continuatas, in ipsius Imperii scandalum non modicum et gravamen et proinde volentes, ut tenemur, circa recuperacionem et reintegracionem dictorum locorum, bonorum et jurium efficaciter facente domino laborare, dispositiimus et constanti proposito firmavimus esse personaliter cum exercitu valido inter villas de Mointz et Byns in Hanonia die Veneris proxima ante festum Beati Thome Apostoli, exinde directe contra di-

etos occupatores et detentores illicitos potencius, quo poterimus progressuri, et ideo vos, ut fidelem, potentem et precipuum Imperii, ex corde rogamus et premunimus, vos nichilominus in fide, qua Sacro Romano Imperio tenemini, ac sub penis in dicto statuto et aliis in jure contentis firmiter injungentes ac peremptorie vos citantes quatenus juxta nobilitatis vestre deceniam et vestre potencie qualitatem ad dictos diem et locum cum ea, qua poteritis, hominum armatorum multitudine personaliter accedatis, nobiscum ulterius in manu forti pro recuperacione dictorum locorum, bonorum et jurium nostris suntibus profecturi, vestrumque consilium et auxilium super his nobis fideliter impensuri. Securi quod, si sic ad nos venire et nobis in hac parte subvenire non curaveritis, ut debetis, contra vos ad inflictionem penarum predistarum, prout justum fuerit, procedemus. Datum apud Andewerpiam XX. die Novembris, anno regni dicti Domini Imperatoris vicefimo quarto, Imperii vero sui undecimo.



Straßburg, Diss., 1776-B





Q. D. B. V.
DE
VICARIIS IMP. ROM. GERM.
S P E C I A T I M
DE
VICARIATU
GERMANIAE INFERIORIS
EDUARDO III. ANGLIAE REGI
A. MCCCXXXVIII. COMMISSO.
EX DECRETO
ILLUSTRIS JCTORUM ORDINIS
P R O L I C E N T I A
G R A D U M D O C T O R I S
C O N S E Q U E N D I
AD D. XV. JANUARII MDCCLXXVIII.
P U B L I C E D I S P U T A B I T
JOHANNES WILHELMUS METZLER
FRANCOFURTANUS AD MOENUM.

H. L. Q. C.

ARGENTORATI
Typis JOH. HENRICI HEITZII, Universitatis Typographi.